XXIII.
C
108.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
C
108
NAPOLI

DE RATIONE LIBROS CVM PROFECTV legendi libellus,

Deque vitanda moribus noxia lectione,

ORATIO
FRANCISCI SACCHINI
E SOCIETATE IESV

Editio Tertia.

FLEXIÆ.
Apud LVDOVICVM HEBERT
Typographum.

M. DCXVII.

Digitized by Google

CLAVDIVS AQVAVIVA SOCIETATIS IESV Præpoſitus Generalis.

CVM libellum, & orationem de legendis cum profectu libris, à P. Franciſco Sacchino noſtræ ſocietatis Sacerdote compoſitam, nonnulli ſocietatis noſtræ, quibus id commiſimus, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem conce-

dimus, vt typis mandetur, ſi Reuerend. D. Viceſgerenti; & P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 28. Octobris 1613.

Claudius *Societ.* JESV *P. Generalis.*

Imprimatur. ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. Sacri Pal. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

EX commiſſione Reuerendiſſimi P. M. Sacri Palatij inſpexi librum qui inſcribitur De Ratione libros cum profectu legendi, deque vitanda moribus noxia lectione R. P. Franciſci Sacchini è Societate IESV. Et nihil reperi, quod fidei, aut bonis moribus repugnet, quin etiam mihi viſus eſt digniſſimus, qui typis mandari debeat ob varia chriſtianæ pietatis documenta librorum ſtudioſis perutilia, ac planè neceſſa-

ria, quæ ab Auctore ſatis luculenter, cumulateque traduntur.

Ego Alphonſus Ramirus Rector Eccleſiæ Parrocbialis S. Nicolai.

Imprimatur.

F. Thomas Pallauicinus Bononienſis Magiſter, & Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. Socius Ord. Prædic.

AVTOR
CHRISTIANIS ADOLESCENTIBVS, BONARVM LITERArum ſtudioſis,

Veram ſapientiam, ac felicitatem ſempiternam.

DISCIPLINAS humaniores, Chriſtiani Adoleſcentes, quibus veſtræ flos ætatis excolitur, ſemper equidem pro eo, ac debui, maximi feci: ac pro virili vt ornarem, proueheremque adniſus ſum. Arbitror enim eas non modo morum cultrices

priuatorum eſſe, ſed etiam rei totius publicæ decoras maxime, & efficaces adminiſtras: vt merito humanitatis nomen acceperint, tanquam ſine ijs vita hominum futura eſſet immanis. Sed factum eſt perincommode fraude Tartarei hoſtis, atque hominum vitio improborum partim veterum partim recentium; qui bonis operibus adulterina quædam, velut herbis ſalubribus mala gramina, miſcuerunt, eo certiora ad noxam, quo blandiora ad ſpeciem. Quædum incautius ſtudio legendi vtiles fruges ſimplex interdum conſectatur adoleſcens, venena per imprudentiam carpit. Ea pernicies cùm ſanè maxima ſit, nec omnino vlla ſit cauſa, cur graueolentes, ac peſtiferæ adeantur paludes, cùm pateant amæ-

ni, atque ſalubres agri, vnde pulcherrima optimarum diſciplinarum ſeges copioſe, tutoque petatur, ſuprema ego voce, qua meos Auditores anno ab hinc vndecimo appellaui, agendum mihi cenſui de librarum eiuſmodi vitanda lectione. Ac, Deo bene iuuante, & ipſa re, & Auditorum indole, ita ſucceſſit, vt continuo ſua quiſque rigida cenſura luſtrauerint ſcrinia, ac perpurgarint. Vulgata eſt eo tempore, ac ſæpe deinceps multis exemplis ſcripta manu diſputatio illa: ac plerique ſalutarem experti ſunt. Quæ fuit cauſa cur vobiſcum tandem omnibus (præſertim quòd id ipſum auctoritatis magnæ viri flagitabant) communicandam exiſtimauerim, uti veſtris ſtudijs, qua poſſem ope conſule-

rem. Sic enim habetote, nihil vobis æquè ſubſidio futurum ad profectum liberali, Chriſtianóque homine dignum, quàm ſi animi candorem, morumque integritatem conſeruare ante omnia ſtudueritis: cùm initium ſapientiæ timor Domini ſit: & in maleuolam animam intrare ſapientia dedignetur, fugiatque habitare in corpore ſubdito peccatis. Et verò, ſi vna ſciendi cauſa eſt cultura animi, & conformatio ad virtutem, profectò tum didiciſſe vos plurimum exiſtimare debetis, cùm ſtatueritis ea, quæ vitia nutriunt, quæque non informant mores, ſed deformant, & maculant, ignorare. Præſertim quòd veſtri labores non ad huius modo temporis rempublicam (quamquam hæc quoque ſancta eſt) ſed multo

magis ad cœleſtem vos ciuitatem expoliunt. Præclare enim Magnus Nazianzenus * Oratione ad Ciues Nazianzenos *vitam hanc mortalem immortalis illius adumbrationem quandam & rudimentum appellat. Ceterum eam diſputationem, quò gratiorem vobis offerrem, alteram, quam de tota legendorum ratione librorum prope adoleſcens condideram, recognoui, & adieci: vnde cognituros vos ſpero non pauca, quæ ad ſtudendi viam, non in præſentia modo, ſed in omni reliquo, & ſtudiorum, & vitæ curſu non incommoda experiamini.*

Accipite ergo volentes hoc ſtudij mei aduerſus ſtudia veſtra pignus, ac libenter vtimini Atque geminum illum Satyrici poëtæ verſiculum,

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſas:

ad veſtram diſciplinam (egregiè enim quadrant) accommodate: vt ſummum credatis flagitium, nec fieri quicquam abſurdius poſſe, quàm ſi forte, cùm honeſtatis cauſa detur opera diſciplinis, propter ſcientiam ipſam ſciendi cauſa perdatur. Bene in æternum valete, ac ſapite.

LIBELLI DE RATIONE LIBROS LEGENDI.

CAPITA.

Cap. 1 *De neceſſitate, & vtilitate diligentis lectionis.*
Cap. 2 *Delectus librorum habendus.*
Cap. 3 *Qui libri legendi.*
Cap. 4 *Qui ſit in lectione tenendus ordo.*
Cap. 5 *De conſtantia lectionis.*
Cap. 6 *De ſubſeciuis lectionibus.*
Cap. 7 *Quo tempore, & quantum legendum.*
Cap. 8 *In lectione quænam animaduertenda ſint.*
Cap. 9 *Quemadmodum citra excer-*

pendi ſolertiam, quæ digna ſunt, adnotari poßint.

Cap. 10 *Rationes, quare nihil ex lectione excerpendum ſcripto videatur.*

Cap. 11 *Rationes quare excerpendũ aliquid ſcripto videatur.*

Cap. 12 *Quid curandum, vt excerpendi labor ſit totus ſaluber.*

Cap. 13 *Quando, quæ, quomodo excerpendum.*

Cap. 14 *Silentione, an voce clara legendum.*

DE RATIONE *LIBROS* CVM PROFECTV legendi.

AD STVDIOSVM artis rhetoricæ adoleſcentem.

ROGASTI me, vt de lectione librorũ quid ſentirem, planè tibi narrarem. Parui, fecique etiam, quàm tu peteres, cumulatius. Non ſolum

enim, quæ in præſens opportuna tibi cenſerem expoſui; ſed etiam quæ deinceps in ætate, doctrinaque maturiore. Pręſtat enim mature prędiſcere, quę poſtea futura ſint vſui: vt quo citius comprehenſa fuerit animo, hæſeritque diutius rerum agendarum forma, eo firmius, cum tempus venerit, teneatur. Cùm autem gemina ſit cauſa legendi, vel ſtyli formandi, vel percipiendæ doctrinæ (nam cum iis, qui voluptatis cauſa lectitant, nihil nobis negotij eſt) compendioſius putaui, diſputationem vtramque coniunctim

ad communia capita reuocare, atque in loco ſubmonere, ſi quid diuerſum incideret, quàm tractationes diuerſas inſtituere. Opus habet aleæ non nihil, propter hominum varias, diſcrepanteſque ſententias. Tibi tamen deberi à me nihil, poſſe exiſtimaui. Habes igitur non quid optimum ſit (quis enim hoc audeat profiteri meæ vtique tenuitatis) ſed quid mihi optimum & commodiſſimum videatur. Habes non ſcripta eruditis viris præcepta reconditæ artis; eo minus, quod Duce opus non eſt iis, qui peruenere; ſed

monitorem, & indicem iter ingredienti beneuolum, & fidelem. Ceterum quodcumque ſit, tuum eſt vti libenter qui exegiſti. Quod ſi rationibus, vt ſpero, tuis accommodatum repereris, tum ego duplici fruar voluptate, quod & paruerim tibi, vt debui, & profuerim, vt volui.

De neceſſitate & vtilitate diligentis lectionis.

CAP. I.

MEmini me adoleſcentem ſæpius cogitare animo, poſſetne quis ſine

lectione diligenti numerũ aliquem in literarum ſtudiis aſſequi. Suſpicabar cui opes adeſſent propriæ, ac ſuæ, nihil ei externa requirenda ſubſidia. Si enim ingenio valeret, quid peteret foris, quod domi ſuppeteret? Seruitus quædam videbatur mutuari: abiectio & humilitas animi emendicare. Audendum, & quemadmodum, qui primi inuenere diſciplinas, poſuere veſtigia in vacuo, nulliuſque ante ſolo tritos preſſere calles, ita poſſe hac ætate opinabar (neque enim effœtam, aut exhauſtam eſſe ingenij vim) ſine

cortice nari. Verum enim verò præſidentis illa ætatis temeritas paulatim acceſſu annorum, vſuque ita defluxit vt planè ſtatuerim, vti ſapientes viri conſentiunt, quod corporibus cibus eſt, id ingeniis eſſe lectionem *Hoc* (inquit) ad Hieronymum Damaſus, *veluti quotidiano cibo alitur, & pinguescit oratio.* Quemadmodum enim animantium corpora nec augeſcunt, nec conſeruantur, niſi idonea nutrimẽta ſubminiſtrentur, ita ſine accuratæ pabulo lectionis, nec acquiritur ſapientia, nec retinetur. Refer oculos in

Ep. 112 apud S. Hie.

eos omnes, qui nomen aliquod in literis conſequuti ſunt, quotum quemque inuenies, qui non quam potuit ornatiſſimas bibliothecas inſtruxerit? Geminum illud grecæ ſapientiæ lumen ſatis eſt recordari. Certum eſt Ariſtotelis ingenium vehementer alitũ voluminũ vbertate, quam per Alexandri Magni opes quæſiuit. Qui quidem vel tribus talentis Speuſippi libros cöemit, operæque tãtum in lectione ponebat vt inde anagnoſtes à Platone vocitetur. Platonem autem curare non piguit, vt Philolai monumenta

Laer. l. 3. & 8.

ſibi centum minis compararentur. Quid facere ergo vulgares decet indoles, ſi ſumma illa ingeniorum faſtigia tantopere ſubſidia quæſiuere? Nam velle æmulari primis inuentorib. diſciplinarum, intolerandæ eſt cùm ſuperbiæ tum ſtultitiæ. quid enim arrogantius, quàm id quempiam ſibi aſſumere, quod conſenſu gentium ſingulari quodam Dei munere datum eſt primis, eoque datum, vt alij deinceps ex illis acciperent? Quid dementius, quam trita cum pateat via ductoribus præeuntibus certis, in incertum er-

rare per incognitos, ac ſolos anfractus? Huc accedit contritum vulgi ſermone prouerbium hoc eſt communi populorum ſuffragio comprobata ſententia, *Non omnes poſſumus omnia.* Da quamuis ferax ingenium, da quamuis ſolers, acutumque iudicium, tamen & illud riuulis alienis rigandum, & hoc aliena terendum lima erit. Sed cùm omnes diſciplinæ ſedulam requirant legendi induſtriam, maximè eam deſiderant ſtudia, quę nomen ab humanitate traxerunt. Vnde enim veteres linguas, cum iamdiu demor-

tuæ ſint, niſi ex libris, in quibus reliquiæ extant, ediſcas? vnde ritus, mores, dicta, ac facta memorabilia? Vnde niſi ex monumentis cognoſcenda, & quaſi in lucem euocanda eſt omnis antiquitas? Vnde omnis bene dicendi, ſcribendique apparatus depromi debet, niſi è locupletibus codicum apothecis? Quod ſi rectè ſentientium communi præſcripto tam eſt Oratori, poëtęque futuro vtilis imitatio, vt neceſſaria propemodum iudicetur, ſane multo eſt lectio neceſſaria magis: quia nec ſine ea conſtare imitatio

tio poteſt, & multas habet præterea vtilitates, illa eſt manifeſta, præſenſque commoditas, quod ſenſim ſine ſenſu, etiam ſi nullam adhibeat imitandi curam, influunt in legentis ingenium ſtylus, & elocutio atque à Deo mores authoris eius, quo maxime delectatur. *Nam quemadmodum cum in Sole ambulamus* (inquit Cicero) *etiamſi aliam ob cauſam ambulemus, fit natura, vt coloremur, ſic cum doctorum virorum ſtudioſius legimus opera, ſentimus orationem noſtram illorū cantu quaſi colorari.* Mihi quidem dubium non eſt, quin

ei, qui legerit diligenter, multa ſuccurrant ex lectionis orta ſeminibus, quamquam vnde oriantur, ipſe minus animaduertat: & ſuum plane putet inuentũ: vt eſt quidem, ſed neutiquam extitiſſet, niſi lectio præiuiſſet. Nec vero aliter, atque in vſu hominum familiari accidit, vt in amici quiſque tranſeat mores, in lectione librorum fit. Molle, & quaſi cereum eſt humanum ingenium ad eam facile formam ad quam apprimitur figuratur. Hinc vero non legendi ſolum demonſtratur vtilitas, ſed etiam neceſſitas intelligi-

tur adhibẽdi librorum delectus, vtriuſque diſciplinæ cauſa, virtutis, & literarũ: ne diuinitus ingenita nobis ad ſalutem docilitas, ſi applicetur ad noxia perniciem, & exitium creet.

Delectus librorum habendus.

CAP. II.

CVm igitur certum, exploratumque ſit poſſe libros quoſdam, & ingeniis obeſſe, & moribus, prima ſit ea curarum, vt vtiles vtrique rei legantur. Et quoniam ad mores ſcientia omnis debet referri, vitamque recte inſtituendam; ea lex ſanciatur in

delectu librorum, vt ſi quis liber ſit, qui commodare ingenio poſſit, ſed cum diſcrimine morum, penitus illo abſtineatur. Præpoſterum enim, peruerſúmque eſt ſcientiā ſanctitati præferre. Verum ab impudicis (nam de impiis euitandis, vel meminiſſe ſuperuacaneum fuerit) quantopere abſtinendum ſcriptis ſit ex oratione quæ huic libello adiungitur, luculenter intelliges. Itaque ſolum in præſentia dicam de librorum delectu ne noceant, ſed proſint ingeniis. Principio, quod iunior Plinius de auunculo refert ſolitum

eum dicere , nullum eſſe librum tam malum , quin habeat aliquid boni , ad eos exiſtimato pertinere, quorum iam prorſus oratio , ac ſtylus cum iudicio, atque ætate maturuit atq; vt ita dicam , obduruit. Quibus infirma eſt ætas, nec corroborata doctrina, his,vt in ſodalibus, item in libris deligendis adhibenda ſolers prouiſio eſt. Quod vtrobique procliuius vitia, quam virtutes communicantur. Cuius rei cauſam non equidem aliam cenſuerim , quam eam , per quam fit , vt, cum morboſo ſi verſeris , citius inde

morbum quam ex bene ſano bonam valetudinem trahas. Et enim bona vale-tudo in quadam mediocritate, & humorum æqualitate, ac temperamento ſita cum ſit, morbus autem in exuperantia, ac dominatu immodico; abundans ille, & ſupra naturalẽ modum præpollens humor, tyranni inſtar, multo eſt ad nocendum acrior, ſpargendamque peſtem, quam compoſita vis ad iuuandũ, & ſalubritatem gignẽdam. Ita in moribus, ita in diſciplinis euenit. Virtutũ media quædam natura, ac temperata eſt: vehemen-

tia ſunt vitia, & quodam modo violenta, eoque commouent acrius, feriuntque. Sunt præterea vitia quedam virtuti ſimilia, eoque nocentia magis, quod virtutis imagine blãdiuntur. Vnde fit, vt adoleſcentium imprudentiam eo facilius, fallant vitioſi libri, quod in ipſis imago virtutis elucet. Nonne vides quantum admirationis vulgo plus habet profuſus quam liberalis; audax, quã fortis? Nimirum largitionis magnitudo vulgi animos vehementius tangit, & capit, quam conſiderata liberalitatis officia: for-

rius conuertit ad ſe rapitque animos audax facinus, ſi fœlix ſit, quam vis conſilio temperata. Haud multo ſecus, quæ præſertim tumida ſunt, audentiaque in autoribus, & mirantur magis adoleſcentes, & imitari geſtiunt, cum ad id incitet eos ipſe quoque feruor ætatis. Nam cum vegeta ſit, plena virium plena fiduciæ, amat magna, ſectatur excelſa. Ergo quemadmodum in conſerendis terris delectus habetur ſeminum, ita diligenter videndum, quibus rebus mentes adoleſcentium conſerantur. Perinde enim vt fuere ſemina,

fructus exiſtunt. Commode etiam Ariſtippus, ſicut, non qui plurima comedūt, ij recte valent; item non qui plurima, ſed qui vtilia legunt, aiebat ſtudioſos atque eruditos habendos. Quin illa, vel maxima ex autoribus minime bonis pernicies capitur, quod tenera iudicia deprauantur: vt vel numquam poſtea corrigantur, vel maiore negotio, quam didicere, dediſcant. Quæ erat Timotheo inſigni tibiarum magiſtro cauſa, quare duplicē mercedē ab iis exigeret, qui aliorum ſub diſciplina fuiſſent: quod, & dedocendos

Laer. in Ariſtip po.

Quint. l. 2 c. 3.

ſibi illos, & docendos aiebat. Maximam autem eam perniciem dixi, quod, cum ex forma animo comprehenſa deinde naſcantur opera? ſi regula praua eſt, quæ ex ea formabuntur, recta eſſe non poterunt. Accedit iactura temporis, quę quamquam minimi à pleriſque ſit, tamen eſt maxima. Eſt enim iactura non alienæ rei, ſed vitæ noſtræ: quæ cum breuibus ſit deſinita naturæ ſpatiis, extendi in omnem æternitatem, & propagari poteſt induſtria. Prouidendum eſt igitur non modo ne noxij, ſed etiam ne leuiculi, ne

ludicri, ne qui friuola do-
cent, tractantve libri ha-
beantur: ne conceſſa mor-
talibus lucis vſura breuis
per ſe, ad ſemen æternita-
tis: ſiue per inertiam, ſiue
caſſo labore perdatur. Quo
loco etiam monuerim non
ſolum in libris, qui diſcipli-
næ cauſa leguntur, præci-
pue conſectanda, quæ pie-
tati opitulentur, ac mori-
bus, ſed etiam pios quem-
que habere libros debere,
quos eo proprie ſtudio te-
rat. Aequum eſt enim, vti
rebus humanis diuinæ pre-
ſtant, ſic eas præcipua cura
tractari, & humanarum eſſe
moderatrices.

Vid. Sen. ep. 19.

Qui libri legendi.
CAP. III.

VErum hæc de librorũ habendo delectu, quã diſputantur facile, ac probantur, tam eſt impeditum nominatim pronuntiare, qui legendi ſunt maxime. Ep. 14 *Libros* (inquit Sen.) *non refert quam multos habeas, ſed* l. 7. ep. *quam bonos* Ac Pl. iunior. 9. *Tu memineris ſui cuiuſque generis autores diligenter eligere. Aiunt enim multum legendum eſſe non multa.* Quod eam habet ſententiam. Oportere ſapientiæ cupidos deditos eſſe lectioni: in eamque ſtudioſe, ac di-

ligenter inſiſtere, cæterum optimis in quoque genere ſcriptoribus debere eſſe contentos: quod profectus in perſeueranti magis, ſalubrique lectione, quam in bibliothecarum peruolutatione conſiſtat. Quamquam & illa mihi vetus arridet loci huius Aldina lectio verbo contraria, re, ſi bene interpretere, conſentiens. *Non multum legendum eſſe, ſed multa.* Congruit certe aptiſſime Plinij inſtituto ſententia: qui, cum de autorum agat delectu, eos potiſſimum adamari, aſſumique præcipit, quorum non multa lectione

multa legantur: quod maximi momenti præceptum eſt. Sunt enim Scriptores nonnulli, quibus ineſt eximendum, ac tollendum aliquid, ſed tantum eſt euoluendum paginarum inanium, vt pretium non conſtet operæ. Imitandi ſunt igitur agricolæ, qui nec meſſem, nec vindemiam colligunt, vnde non reficiantur impenſæ: nec metallorum foſſores eas venas perſequuntur, vbi labor exuperet fructum, præſertim ſi diuites adſint. Videas tamen neſcio qua nõnullos dulcedine, macros quoſdam, ſterileſque, ac

miſeros conſectari autores & ſi quid poſſint elicere frugis, maximis geſtire lætitijs. Et habent quidem iucunditatē quandam eiuſmodi fruges, vt ſi in dumeto vuam inuenias. Sed, quæ rogo peruerſitas eſt, cum pēdeat incultiſſimis vineis opima vindemia, racemulos inter aſpreta ſectari? Memineris igitur librorum habere delectum, lectionemque ſimilem cibatui eſſe: vtque aridus cibus non eſt commodus alendis, augendiſque corporibus; ita arida, ac ſterilia ſcripta non eſſe idonea fœcundandis ingenijs. Quod

quidem ad ætatem tuam, atque diſciplinam proprie pertinet, id eſt, ad eum adoleſcentem, qui prætervectus grammaticæ ſcopulos, ad amœnas, beataſque Rhetorum inſulas enauigarit, id conſilij dederim, quod Liuius (vt autor quintilianus eſt) filio dedit. *Legendos Demoſthenem atque Ciceronem, Tum ita, vt quiſque eſſet Demoſtheni, & Ciceroni ſimillimus*. Vniuerſe autem ſtatuendum ſic cenſeo; vti quaque in arte, qui duces habentur, ij plurimum legantur. Quæ præceptio tam eſt vera, & euidens, vt ridiculus prima

Quint. l. 10. c. 1

facie, qui eam commemoret, videatur. Sed ſcito plus valere, quam præ ſe ferat, magiſque quam videatur, neceſſariam eſſe. quã multos enim credis eſſe, qui iuris prudentiæ ſtudioſi, nobiliſſima Pandectarum norint volumina? Quam multos, qui rerum naturæ cognoſcendæ operati, Ariſtotelem euoluant? Quã multos qui Theologiæ dediti, S. Thomã, vti par eſt, terãt? Interpretũ enim cõmentarios pleriq; ſectãtur: ac fontib⁹ omiſſis circa riuulos fatigãtur. Valet igitur eò meũ præceptum, vt plurimum operæ in cuiuſq; doctrinæ

ducibus ponatur, non modovſu aſſiduo conterendis, ſed etiam memoriter ediſcendis. Sunt enim hi fontes, vnde cæteri hauſerunt. Sunt principes, vnde cæterorum pendet autoritas: ſunt ſemen omnis doctrinæ, vnde per ſe varias quiſque poteſt fruges educere. Sed ad ſtylum formandum cenſuerim illud quoque magna obſeruatione dignum, vt ſuum quiſque norit ingenium, & eos diligat, qui ad ſuum maxime guſtum facti ſunt. Simile enim ſimili nutritur: & quemadmodum in corporum cibis, ita in pabulo mētis, quæ

iucunda ſunt maxime, eä ferme ſunt maxime grata, & alentia. Vniuerſe quidē recte præcipitur, vt abundantiores præferantur ſiccioribus quod alenda ſunt ingenia potius copioſo paſtu, quam ſicco, & arido tenuanda. Sed illud tamen videndum eſt, vt extrema declinentur: & contraria, vt opus eſt, remedia vitiis adhibeantur contrariis.

Quorum læta plus nimio, ac ferax exultat indoles, depaſcenda quodammodo eſt lectione codicis limitatioris & quaſi attenuanda ſale affricto laconico. Nec ſane aliter, quibus exile eſt,

preſſumque nimis ingeniū, augendū, atque laxandum læto, & amplo dicendi genere: item horridior naturā in amœna loca; amœnior in horridiora: rurſuſque in alta humilior, in demiſſiora elatior deducenda. dum ſalubri temperamento in aurea mediocritāte, quantum licebit conſequi, conſiſtamus. Hæc adhibentur curandis quoque præcepta corporibus; quæ ſicciora humidis, humidiora ſiccis, frigidiora calidis, feruentiora frigidis nutriuntur: ne exuperantia immodica in perniciem euadat. Habes igitur adhi-

bendum in libris delectum, legendum optimum quemque legendum in quaque doctrina principem, legendum, qui maxime ad cuiuſque ingenium faciat, dum adhibeatur ea prouiſio, vt conſequendæ mediocritatis gratia, velut in corporibus ad auertendos propulſandoſque morbos, ſic in ingeniis ad curanda vitia, vel arcenda, ei affectioni, quæ nimium inualeſcit, ac dominatur, contrariis adiumentis oportune ſuccurratur. Iam, quo ordine legas, cognoſce.

Quiſit in lectione tenendus ordo.

CAP. IIII.

DVplex autem ordo poteſt intelligi, primũ ex libris diuerſis, quis prior, quiſue poſterior? tum vnus, idemque liber, quo legendus ſit ordine. De priore dubitatione ſatis poteram locutus videri, dum dixi, quos legendos maxime cẽſerẽ. Nam, qui plurimum, iidem ferme legendi ſunt primi. Intereſt autem permultum, quo legas ordine, tum ad rectam, tum ad fa-

cilem, permanentemque diſciplinam. Idque tanti fecit Galenus, vt de ordine, quo opera ſua legi deberent, libellum ſibi condendum exiſtimarit. Inchoandum ſane ab optimis nemo dubitarit. Nam quæ prima diſcimus, diutiſſime retinemus. Ideoque purus ac tener animus optimis imbuendus. Cœterum quoniam habenda eſt ſimul ratio facilitatis, illud cenſeo, euoluendos ante alios, ediſcendoſq; autores cuique, quos in auditorio prælegerint, & explanarint magiſtri. Nam, & magiſtros vero ſimile eſt eos prælegere, qui ad cuiuſ-

que profectum ſint maxime accommodati : iidem difficiliora explanant , atque inſigniora quæ ſint, edocent:quæque notanda, quæ imitanda admonent: tamque multa vnius anni decurſu tradunt , vt ea ſi recte diſcentes perceperint, breui animaduertant ſe plurimum profeciſſe Igitur etiam,atque etiam moneo , vt ſedulò , cum quid otij nanſciſcitur adoleſcẽs, non tàm nouos per ſe cognoſcendi libros ſtudio feratur, quam vt in recognoſcendis reuoluẽdiſque iis,quos iam magiſtro duce cognouerit , diligenter impendat.

pendat. Neque putet, etiã ſi memoriter librum totum edidicerit, hanc curam eſſe iam ſuperuacaneam: nam immenſæ deprehendet vtilitatis. Præſtat enim initiis pauca optime noſſe, quam multa delibare, tum quia, quæ penitus deſcendere in animum, diutiſſime hærent tum etiam, quod bene cognita, pro norma ſunt ad multo plura diſcenda, & facem ſequentibus præferũt, tum denique quia aſſueſcit adoleſcens, non leui quaſi tinctura doctrinæ eſſe contentus, ſed vult penitus imbui. Cum ſane nulla ſit ingeniorum pernicies maior,

quam tenui quadam diſci-
plinarum aſpergine delecta
ri. Nunquam enim ad ſoli-
dum proficitur, numquam
viuus ducitur color: ſed
ſummæ tantum cuti fucus
obducitur, nunquam cer-
to, numquam claro itur in
lumine, ſed in ambigua lu-
ce, ac via: vt vel deerretur,
vel ſit felicitatis, non ſcien-
tiæ ſicubi rectus curſus te-
neatur. Secundum hanc
curam, quæ ſunt à magi-
ſtris expoſita relegendi, illa
eſt proxima, vt ex ipſis quę-
ratur magiſtris, qui cuique
verſandi ſint libri. Ipſi enim
pro ingenio, captuque,
ac profectu cuiuſque rem

finiet. Nam vniuerſe, quod omnibus æque conueniat, propter diuerſitatem ingeniorum decerni non poteſt. Illud quidem apparet: ad initia ſtyli ſoluti, nō abeundum à Marco Tullio, nec ab Ouidio, ad initia poëticæ facultatis. Habet enim Ouidius felicitatem illam mirabilem non ſolum poëticam ſed, vt ſic dixerim, poëtificam adeo influit in animos, & ſuam illam venā quodammodo legentibus afflat. Ex Ouidio autem, cum legendum quid aio, quæ de Ponto, deque Triſtibus Elegiæ aſcribuntur, intelligo.

Nam aliorum operum, ſi quaſdam epiſtolas excipias, me autore non multa attinget noſter adoleſcens, cui longe potior ſanctitatis, quam poëſeos cura erit. Ordo autem, vt aliquid pingui adumbrem Minerua, in Marco Tullio eſſe videtur ille non incommodus, vt Epiſtolæ familiares præeant: ſequantur quæ ad Atticum quæque cum iis coniuncta ſunt: tum Dialogi de Amicitia, de Senectute, cum libris officiorum: deinde alij philoſophici dialogi, qui tamen ſpinarum minus Philoſophicarum habeant. Poſt

æc oratorij libri & oratio-
es legantur. Quæ partitio
o pertinet: vt aſſueſcas,
uæ ſtyli tenuis ſunt, quæ
ιediocris, atque ſublimis
:paratim cognoſcere, vt
ιos, & ipſe poſſis vnicui-
ue rei apte colores redde-
:. Illud præcipi communi-
:r, ſiue ſtyli, ſiue eruditio-
:is cauſa poteſt, cum prius,
um impenſius vetuſtiores
:gendos. Sunt enim multi,
uibus gratia quædam, &
lecebra recentiorum fu-
:um facit. Cæterum meæ
ententiæ ea eſt ratio quod
: ſermo latinus, & cætera
octrina multo ex fonte
urius, quam ex riuulis

hauritur. Vt optimi ſint poſteriorum ſcriptores tẽporum, fluxere tamen è priſcis, imago, non forma ſunt. Quota quæque autem ſpecies aſſequitur faciem? Erit fortaſſe venuſtior, verior certe non erit. Contueamur igitur ad exemplum latini ſermonis: ipſam quodammodo viuam figuram ab iis relictam qui viua ſcripſere lingua, non ſimulachra, quæ mertua iam lingua penicillo, atque coloribus abumbrare noſtrates conãtur. Quod nequaquam pertinet ad autorum recẽtiorum contemptum, ſed vt quibus

ipſi viis profecere, iiſdem proficiendum ſibi eſſe adoleſcentes admoneantur. nec me fugit in recentiorum lucubrationibus multa inueniri, quibus pleraque obſcuriora veterum illuſtrentur: nihilo tamen minus opinor ordinem quem dixi, ſolido ſtudiorum profectui magis accommodatum. Nam præter ea, quæ de ſtylo diximus, & cuique certa videri neceſſe eſt: quod item pertinet ad eruditionem habet cognitio veterum monumẽtorum opportunitates multas, & maximas. Ea prima eſt, quod

quę diſcimus, videmur certius ſcire: & proferre autorem fas eſt. Recentiorum autoritas ferme tanta non eſt, vt vim niſi interpretis habeant. Antiquitati ille honos habetur, vt pro iudice lege forma ſit. Deinde facile eſt animaduertere, quos habuerit gradus diſciplina, quid ad priores poſteriores addiderint. Ac ferme ita comperies pleraque recentiorum, vel ſumpta, vel ducta ab antiquis. Iucundiſſimumque eſt agnoſcere, quid ſumptū, quid expreſſum ſit. Ptolomeus quondam alexandrię in ludis quos Muſis & Apollini

dedicarat, certamine ſcriptorum indicto ſex è ciuitate lectos adhibuit iudices: qui cum in poëtica primum ei premium decreuiſſent qui populo maxime placuerat, alterumque ei quem proxime conuentus item auditorum probarat, placuit & Ariſtophanis audire ſententiam qui libros omnes ex ordine ſummo ſtudio perlegere ferebatur. Is vero palmam ad eum detulit quem minime omniũ caueæ conſeſſus probarat. Quod cum rex & vniuerſi non mirarentur modo ſed & vehementer indignarentur ſurrexit Ariſtophanes

& ſilentio facto docuit vnũ illum ex certãtium numero eſſe poëtam, cæteroſque aliena recitauiſſe. Oportere autem Iudicantes non furta ſed ſcripta probare, probatiſque libris coëgit eos fateri ſeſe furatos, ac furti condemnatos Rex cum ignominia dimiſit. Quam igitur ex lectione veterum iudicandi nactus eſt facultatem Ariſtophanes, eandem non ad ſeſe iactandum, nec ad alienam contumeliam, ſed ad veram rerum æſtimationem ex facili conſequetur qui perſimili ſtudio rationẽ habeat cum autiquitate nec ſaltua-

tim diſcurſet & errabundus vagetur, ſed certa ratione progrediatur ac via. Licebit pariter animaduertere quam quidq; cõmode, quamq; feliciter, ac vere explicatum ſit. Qui enim in vna, eademq; facultate doctorem priorem viderit: habebit hæc commoda: primum facillime poſteriorem intelliget, deinde, vt creſcit ipſa facultas temporum tractu, eoſdem in profectu gradus, & ipſe habebit: tertio cum in multis poſterior ſcriptor interpretetur, & interdum reprehendat priorem, ſi eum iam legeris, licebit non modo

facilius conſequi id, quod dicitur, ſed etiam iudicare, quam vera interpretatio, quam iuſta reprehenſio ſit. Idque fiet multo incorruptius, tanquam cauſa ſine præiudicio cognita. Nam, cum quid ante reprehenſum in altero inuenis, quã pronunciatum in ſuo autore legeris, facile inſidet animo reprehenſio & ante iudicas, condemnaſque reũ, quam ipſummet audiueris, vel inſpexeris. Vt autem occurratur iis incommodis, quod antiquiſſimini habent quædam obſcuriora, vel minus vera, quæ explicarunt vel correxere po-

ſteri, id facile fiet, ſi interpres adhibeatur, vel apud doctum, piumque, ac prudentem cenſorẽ iudicium de eo, quem lecturus es prælegas. Denique videtur hæc oratio ſatis aperta, cur debeant priores præponi poſterioribus quod poſteriorum pleraque certo intelligi nequeunt ſine cognitione vetuſtiorum. Atque vt exempli cauſa quid dicam. In his, qui de re ruſtica ſcripſere, ſi quis, vt æuo prægreditur ita primum legat Catonem, poſteaque, Varronem tum Columellam, inueniet frequentem apud Varronem

Catonis mentionem, apud Columellam vtriuſque, & quædam nunc explicata, nunc defenſa, vel oppugnata magna ſua voluptate: & refricabit memoriam rerũ iam lectarum in poſteriore legendo. Ad ſummam ſic habeto: qui poſteriorum contenti ſunt lectione tanquam hi cum ea, quæ ſuperiores, tum alia ſuper ea contineãt nunquam ad plenum ſententias noſcere ſuperiorum, nec raro in errorem induci: & quam plurima ignorare, quæ ſuo ipſi ſtudio (nam aliis alia placent) obſeruauiſſent. Iam in vno legendo opere ille

tenendus eſt ordo, vt à carceribus lectio recta decurrat ad metas. Ex ordine porro conſtanter ab initio ad extremum vſque proſequere. Ita argumentum operis totum, reſque ſingulæ ac ſeries diſputationis percipietur facilius, & hærebit fidelius. Neque tædium capiat, ſi quædam ſpinoſiora interueniant, neque tranſilias. Eſt aliquid totum vidiſſe. Sæpe inter ea, quæ credideras inutilia & aſpéra, inuenies, quæ vſui in loco ſint màximo. Deniq; niſi videris, ſemper animus incertus hærebit,

bet aliquid vagum, & inſtabile: certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. Caueto igitur, ne per autores diuerſos vagere. Nam vt ciborum varietatem minus ſalubrem corporibus medendi periti cenſent, ita nocet ingeniis varietas, & inconſtantia lectionis. *Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare.* (ſubiicit Seneca) *quæ vbi varia ſunt, & diuerſa inquinant, non alunt.* Deinde ad conſtantiam ſpectat, vt deſtinatas lectioni horas perſeueranter obſerues. Sunt enim

ſingulorum dierum ſpatia certas in actiones apte diſtribuenda. Sua ſcriptioni tempora, ſua meditationi, ſua auditioni, collationique, ſua demum lectioni dicanda: quæ, quanta fieri poteſt, æquabilitate, ac firmitate retineantur. Habet ea partitio bona quam plurima, illud in primis, vt ratio vitæ conſtet. Video igitur primum, vt ordinariæ lectioni dedices aliquot è bonis horis: deinde, vt eas, nec perdas, nec in munera alia, quamuis laudanda, commutes. Nota eſt. S. Cypriani conſtantia, qui S. Hieronymo teſte, abſ-

que Tertulliani lectione diem nullum præteribat, quem poſcēs, *da Magiſtrum*, aiebat Sed hoc præceptum non eò pertinet, vt vnus dumtaxat liber legatur. Nihil enim prohibet diuerſis temporibus plures legi. Quamquam equidem ordinarios haud facile plures duobus permiſerim. Sed illud ſuademus, vt ſua cuiq; tempora conſeruētur: multoque minus ſubſeciuas præter ordinem lectiones excludimus, verum ſummopere commendamus.

De ſubſeciuis lectionibus.

Cap. VI.

SVnt enim quędam temporum velut ſegmenta, quæ vel ob breuitatem eorum, vel ob defatigationẽ noſtram, vel ob tempeſtatum difficultatem, vt ſummi æſtus, ac ſi igoris grauiori operi apta non ſunt. Ea vero, vt ſocordes elabi caſſa per ignauiam ſinunt, ita prudentes colligunt ſumma cura, maiore illi damno, quam facile æſtimatu ſit, hi maiore compendio. Poteſt tamen inde fieri cũiectura, quod ſi temporum

illa quaſi intertrimenta coaceruentur, apparebit multos dies in menſe, multas in anno hebdomadas effici; quas, qui ſedulo occuparit, omnino lucrifecerit: vt è duobus condiſcipulis, quamuis tempora diſciplinæ paria numerent, tamen re vera paria non ſint, quod attentus minutatim multa lucratus eſt, incurioſus amiſit: quare nec mirum ſi ille progreſſus, vel pari, atque adeo inferiore ingenio facit longe maiores. Imitandus eſt itaque in hac bona temporis auaritia, Vticenſis Cato, qui fertur in ipſam curiam

ſolitus adire cum libro, dũque conuenirent Senatores, ne ſederet otioſus, aut fabulis tempus tereret, le-
Pl. epiſ. 36. l. 7. ctitans expectare. Imitandi iunior, ac ſenior Plinius, aliique, qui vel ſuper men-
l. 3 ep. 5 ſam recitari ſibi de codice volebant. Ac de ſeniore quidem Iunior ita ſcriptum reliquit. *Super hanc* (cœnam intelligit) *liber legebatur, adnotabatur & quidem curſim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronuntiaſſet, reuocaſſe, & repeti coegiſſe, huic auunculum meum dixiſſe, intellexeras nẽpe? cum ille annuiſſet. Cur ergo reuocabas? Decem amplius ver-*

ſus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parſimonia temporis. De ſe vero idem Plinius narrat, cum ſolitis tremoribus Campania quateretur, nec ſub tectis tuta commoratio eſſet, quod euerti omnia viderentur, tum nimirum, cum Veſuuius mons immane incendium, & cinerum horrendam molem euomuit, conſtitiſſe in area domus, & quaſi per otium perrexiſſe Titum Liuium legere, & excerpere. Quis autem ſatis miretur Platonis legendi conſtātiam, qui ſcriptorem Mimorum Sophronē, dum moreretur, ſuppoſi-

l.6.ep.20.

tum capiti habuiſſe narratur? Sicut, & magnus Alexander ſub ceruicali quieſcens habebat Homerum. Nec prætermiſerim Abbatis Dorothei ſtudium, qui & veſcens habebat ſemper iuxta ſe poſitum librum, ad quem oculos idĕtidem reflectebat, & eundem prope lectum ſtatuebat, vt, vbi primum ſomno ſe poſſet eripere, lectitaret. Cauendum igitur primum in hiſce temporibus eſt, ne inter manus elabantur: nec committendum, vt pecuniæ auari, qui nullam præterire lucri cauſam patiuntur, ſtudioſos ſapientiæ cura ſuperent.

Dorot. ſer. 30.

perent. Deinde videndum, vt quam vtiliſſimè collocentur. Ac primæ eius cautionis duo ſunt monita: alterum vt quiſq; norit, quæ ſibi ſoleant eſſe vacua tempora: quod facile conſequetur, ſi totum diem, vt dixi, cum ratione diſpenſet, & certa cuique actioni deſtinet ſpatia, teneatque conſtanter: alterum, vt librum nunquam, ſeu de manu, ſeu de ſinu dimittat. Siue deambulatum abeat, ſiue ſacra templa longè poſita ſalutatum, ſiue quempiam amicorum, aliorumve, officij, aut negotij cauſa conueniat, librum ſinu ge-

ſtet. Is moras expectandi leuabit: is comitabitur ambulanti iucunde: is faciet, vt ſi cætera non ſucceſſerint è ſententia, labor, & dies fruſtra ne fluxerit. Quemadmodum laudatus iam ſæpe iunior Plinius ſolitum venari ſe haud ſine pugillaribus ſcribit, *vt quamuis* (inquit) *nihil ceperim, non nihil referam.* Vt autem non occupentur modo reliquiæ temporum, ſed & occupentur quam maximo quæſtu, deligantur his quoque lectionibus vtiles libri. Sed ij maxime videntur appoſiti, quos tanti non intereſt perpetua lectione

l. 9 ep. 35.

decurrere. Tum ex libris iam lectis licebit recognoſcere ſelectos quoſpiam, & inſigniores locos: ſæpe etiã aduerſaria, quæ ipſi confecimus, & excerpta. Nec vetuerim leuioris operæ volumen, aut è ſcriptoribus quempiam recentioribus volutari. Habenda ſimul eſt ratio habitus corporis, animique: quod alius alio tempore, ſi fatigati, infirmiue, vel robuſti, ac vegeti fuerimus, teretur vtilius. Denique etiam tum ita legendum, vt, ſiquid memorabile occurrat, notetur.

Quo tempore, & quantum legendum.

Cap. VII.

PLurimum ergo intereſt habere deſtinata lectionibus tempora, nec vllas pati inanes præterire particulas, quibus de rebus proxime actum eſt. Sed nihilo eſt minoris momenti tempora deſignare, quæ apta, & congruentia ſint. Quippe ſua cuique rei maturitas eſt: aliiſque alia melius horis proueniunt. Sed, vt ingenia, & vires, & occupationes, ac ſtudia hominum

diuerſa ſunt, ita quod ſingulis æque conueniat, non eſt humanæ prudentiæ deſinire. Vt quid tamen generatim dicatur. Qui formando ſtylo dant operam, eos velim matutinis, aut aliis quam maxime opportunis horis Tullianæ lectioni inſiſtere: vt, cum vacat animus, dum recens, ac vegetum eſt ingenium, ſuccum illum ſalubrem, ſaporemq; combibat: horamque minimum vnam in ea re diebus ſingulis ponere: cum item ſumpturi ſunt ſtylum, breue aliquid lectitent, vel ex Oratore, vel Poëta, prout ipſi tale quippiam, ſeu pro-

ſa, ſeu carmine meditantur. Idem factitēt cum ſcripta ab ſeſe emendare aggrediuntur: nec principio ſolum, ſed etiam inter opus ipſum. Nam, vt primam ſcriptionem non facilè interrumpendam cenſuerim, ſed indulgendum ingenio, calorique obſecundandū, ita moroſè emēdanda, quæ primo effuſa ſunt impetu; & identidem aliquid reguſtandum ex antiquo volumine, vt ad exemplum, ac formam illā quam proximè noſtra effingatur oratio. Qui, non tam ſtyli, quā diſciplinarum ſtudio legūt, multo minus eſt dubium

debere eos lectioni temporum florem impendere, velut qui Ariſtotelem, aut S. Thomam, aut alium è ſapientiæ verſant magiſtris. Nam lectionem eorum accuratior opus eſt meditatio comitetur, vt quæ legũtur, probè intelligantur, atque in animum altè, ac diſtinctè deſcendant: eoque vires integras, & illibatas poſtulat, & horas vacuas, & expeditas. Cæterũ, cum hiſtoria, aut quid aliud facilioris doctrinę percurretur, horas ei negotio licebit tribuere, vel à cibo proximas, vel magis occupatas, ac minus certas. Tantum vero

legendum erit, quantum cætera patientur, literaria munera. Attemperari enim inter ſeſe, & conſentire debent. Scitum illud, ne quid nimis, vbiq; valet. Et, quoniam ante non ſemel lectionem cibatui comparauimus, quæ in paſcendis corporibus neceſſaria eſt, ea teneatur hic norma, vt inanitas pariter, ac redundantia caueatur. Neque vero abſurde monet grauis autor, vt ſtomachis, ita ingeniis nauſæam ſæpius nocuiſſe, quam famem: ideoque, vt ciborum, ſic librorum vſum pro vtentis facultate, & habitu finien-

F. Petrarcha Dial. 43. de rembo. for.

dum. Et fames quidem facile declinabitur, ſi & ordinariæ lectiones, & ſubſeciuæ, quas diximus, conſtanter vſurpentur. Nauſeæ vero quemadmodum occurratur, hoc eſt, quemadmodum fiat, ne lecta ſint oneri menti, ſed pabulo, deinceps abundè tradetur.

In lectione quænam animaduertenda ſint.

Cap. VIII.

ID, quo maxime lectionis continetur vtilitas, ſine dubitatione animaduerſio & notatio eſt. Quid

autem ſit animaduerſione dignum, intelligetur, ſi principio ponatur, id quẽque obſeruare potiſſimum oportere, cuius gratia lectionem inſtituit. Multa ſunt diſciplinarum genera, multæ cuiuſque diſciplinæ partes, nec cuncti fermè vniuerſas, ſed alias alij ſectantur. Hos philoſophia illos theologia delectat: multi iuris prudentiæ, quidam medicinæ dediti ſunt. Hi ſequuntur hiſtoriam: illi poëticam malunt: alij oratoriam facultatem. Deniq; aliis alij rebus ſeſe volunt excellere. Videat igitur vnuſquiſque quid proprie

ſibi propoſitum ſit, quo velit ſtudiorum ſuorū curriculo peruenire, eoque inter legendum habeat aſſiduè mentem intentam, eo dirigat curſum: illuc potiſſimum referat, quæ legentis animum inſigni quapiam nota commouebunt. Mirum quantum hæc cura proſit. Plurima enim acutè peruidet, obſeruatque qui ea mente, ſolertiaque auctores explorat, quæ cæteros, etiamſi eadem ſæpius lectitent, fallunt. Ita, qui in philoſophia præſtantiam amat, multa in Poëtis quoque, & Hiſtoricis reperit, vnde naturæ cognitionem

exornet. Ita iuris peritus in aliarum doctrinarum libris obſeruat, vnde nunc locupletet, nunc explicet, nunc exhilaret legum, ac iuris prudentiam: eodemque modo cæteri bonarum artium profeſſores. *Sicut enim inter paſcendum* (inquit Plutarchus) *Apis florem, Capra germen, ſus radicem, aliæ beſtiæ ſemen, fructumve captant, ita legendis poëmatis*) quod de alio quouis opere dictum putato) *alius hiſtoriam decerpit: alius elegantiæ, & apparatui verborum inhæret* (*quomodo Ariſtophanes de Euripide ait, oris rotunditate eius quoniam fruor*) *Alius vero quæ de*

De aud. poet.

moribus vtiliter ſunt dicta, cō-ſectatur. Ac Seneca eundem fuſius locum ad Lucilium tractans, *Non eſt, quod mireris* (inquit) *ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, Canis Leporem, Ciconia Lacertum.* Cum igitur alia alij obſeruēt, vt alij vt aliquid proprie dicatur, quod præſertim eloquentiæ ſtudioſo conueniat. Prima cura in re ipſa qua de agitur, mea quidem ſentētia, ponetur: vt initio cuiuſuis libri, aut diſputationis, dialogi, orationis atque etiam Epiſtolę, Poëmatis item heroici, aut

Vide ep 108.

Elegiæ,aut carminum aliorum, argumentum totius operis bene præcipias, & autoris mentem tibi quaſi ob oculos ponas, ita vt in tota lectione animaduertas, quo ſingula ſpectent, quid efficiant: iudices quoque quam vim habeant, quam ſint ad rem, quam inter ſe cohærentia, quam aptè partita, quam diſpoſita ſapienter. Vnde, & ipſe inueniendi, partiendi, diſponendi, probãdique viam ediſcas. Quod, vt fieri commodius poſſit, plurimum equidem ad rem pertinere opinor, vt quiſque ſumitur in manus liber, conditoris

ætatem, vitamque prænoſſe, quo conſilio opus ſcripſerit, quo tempore. Itaque nec dedicatorias epiſtolas, nec quę ad lectorem inſcribuntur, vnquam cenſuerim prætereundas: quod in illis talia maxime explicantur: & ſuſcepti à ſe operis autores ſolent rationẽ reddere. His cognitis, quæ ſingulis partibus præfiguntur, ſummaria, argumẽta, lemmata, quæque adnotantur ad marginem prodeſt legiſſe. Adiuuant enim intelligentiam, & memoriam roborant. quin etiam interdum vbi ſumma percepta eſt rei, quæ tra

ctatur, præmeditari expedit, ſi tale argumentum propoſitum nobis tractandum eſſet, quid afferremus? qua partitione vteremur? quas adhiberemus rationes? & alia eiuſmodi. Tum inter legendum obſeruare, quam proxime noſtra cogitatio ad autoris formam acceſſerit: quanto noſtra ille meditata ſuperarit: quo nos pacto ſimilia excogitare poſſimus. Quod ſi quid ſuccurrerit noſtrũ, quod comparatum ei non diſpliceat, id vero, & animos, & alacritatem ad ſtudia perſequenda, adhibendumque conatum adiiciet.

Proxima cura in verborum, ac ſtyli animaduerſione verſatur : vt præclaras quaſdam dicendi formulas notes, expendas, memoriæ mandes. Sint tranſlata verba, an propria: obſoleta, an noua: figurata, an ſimplex oratio, & alia generis eius. Nec velim omittas, ſi quæ parum conuenie̅tia Grammaticorum pręceptis inſint aut alioqui mirabilia offerantur. Sed duplex cautio neceſſaria eſt. Altera ne facile ſcriptores condamnes: ác ne librarios quidem; atque typographos: Neu ſtatim quæ non intelligas, corrigendi libido capiat:

ſed vt, cum libros quam emendatiſſimos (hoc enim admonitione non indiget) tibi compararis, ſuſtentes opinionem, & magiſtros, alioſqueviros doctos, itemque libros idoneos conſulas. Altera, vt talia malis ſcire, quam imitari. Hoc enim eſſet ſpinas colligere: illud poteſt multiplicem vſum habere. Tertia obſeruatio ſit in ſententiis illuſtrioribus, quæ vel præceptum ad mores inſtituendos, vel doctrinam ad recte ſentiendum, vel inſignem confirmationem, explicationemque rei cuiuſpiam contineant. Poſtrema in

numeri notatione, collocanda eſt. Velim enim te animaduertere periodorũ varietatem illam.atque cõcinnitatem: vt non infinita feratur oratio, nec præceps deiiciatur, aut mutila claudicet, ſed, vt ſonorè, ac ſuauiter fluat: vt modo totum ambitum, multis compactum membris, numerorumque apta diſtinctum varietate circũductus orbis efficiat; nunc inſiſtat inciſis: nũc gradiatur ſimplici⁹: nunc pæone, nunc cretico, nunc iãbo, aliiſque pedibus pro rei grauitate, ac modo claudatur: vt ſedatè abſoluta periodo incipiat altera:

vt ſit facilis, aperta: ſuauiſ-
ue connexio. Quæ poſtre-
ma animaduerſio ſtyli cau-
ſa in lectione verſantibus
maioris eſt, quam videatur,
vtilitatis. Sed illud eſt ob-
ſeruationibus hiſce com-
mune, vt, vbi quid quo-
cunque in genere maxime
illuſtri ſpecie ferit animũ,
cogitationem referas ad
ſtudia tua, ac diſquiras ec-
quo loco loci eius tibi poſ-
ſit vſus venire, ſiue vt cites,
ſiue vt imiteris. Verum iu-
dicio opus eſt, vt apte ca-
dat, ac puerile vitium fu-
giatur non ad ſuum inſtitu-
tum aliena commodè deri-
uantium, ſed ad ſententio-

las, voculaſque, quas vndecunque collegerint, quicquid ſcripturi ſint, inepte, ac putide detorquentium. Cęterum ſumma profectus in eo cōſtat, vt obſeruationum huiuſmodi fidelis memoria conſeruetur. Quam ad rem multa multi ſubſidia reperere.

Quemadmodum citra excerpendi ſolertiam, quæ digna ſunt, adnotari poßint.

Cap. IX.

ET enim videmus inter legendum alios aliter, quæ ſelectiora putent, di-

ſtinguere vt promptiora, cum popoſcerit vſus, habeant. Neque illa commemorarim, & dictu, & vſu minuta, vt ſubducant alij lineas verſibus ſingulis; locum alij totum linea circũſcribant; quidam inter pagellas tæniolas chartaceas interiiciant. Secundaria ſunt hæc adiumenta ijs relicta, quibus prima occupationes graues eripiunt, ſtyloque vti non vacat. Quid porro de iis dixeris, qui ſatis habent vngue notas imprimere? Illi quidem nec memoriam ſubleuant, & malè de libris merentur, & ipſis iniuriam locis inſigniori-

bus faciunt, quos fœdo, ac damnationis fere indice ſigno deformant. Commodiſſimum hoc in genere exiſtimarim ſummam rerum præclariorum in exteriorem paginæ oram eximere quod ſi ſcitè factum ſit, hora deinde breui licebit libri, vel grandis renouare memoriā. Mos eſt non nemini certas notas, quas ipſe ſibi arbitratu ſuo deſtinarit, & ad certas ſignificationes acō̄modarit, vt quidque notandū occurrat, appingere. Quod & cō̄modi nō̄nullius eſt, nec abhorret à more priſco. De notis enim eiuſmodi, quæ in ve-

terum libris extarent, conditum à Suetonio librum narrat Suidas. Videre eſt apud Laërtium, quæ monumentis olim Platonis apponerentur, alię ad figuras, aliæ ad ſententias ei proprias demonſtrandas: item aliæ: quæ dogmatum conuenientiam; aliæ, quæ emendandum quid, vel reiiciendum oſtenderent. Ariſtophanis interpres in Pluto enumerat, quæ vſitatæ eſſent in Poëtarum libris. Noti ſunt obeli, ſiue obeliſci Ariſtarchi, quos, cum ſeuere ad configendos verſus, quos in Homero ſpurios iudicabat, adhibuiſſet,

ſet, id effecit, nomen vt ſuum ad poſteros non tam hominis, quam cenſoris há-beretur. Meminit ad Atticum Cicero, διπλῆς, quæ vna erat earum notarum: eodem ſpectant miniatulæ cerulæ, quibus notare Atticus, quæ in ipſiuſmet Ciceronis parum probaret ſcriptis, ſolebat. Aſteriſcos, & obelos cum Adamantius Origenes ad ſacros, quo- *Ep. 135.*
que libros tranſtuliſſet, S. *l. 6.*
Hieronymus his verbis rationem eorum exponit. *Vbi quid* (inquit) *minus habetur in græco ab hebraica veritate Origenes de tranſlatione Theodotionis addidit, & ſignum*

poſuit aſteriſcum, ideſt ſtellam, quæ quod priùs abſconditum videbatur, illuminet, & in medium proferat. Vbi autem quod in hebræo non eſt, in græcis codicibus inuenitur, ὀβελὸν, ideſt, iacentem præpoſuit virgulam, quam nos latinè veru poſſumus dicere: quo oſtenditur iugulandum eſſe, & confodiendum, quod in autenticis libris non inuenitur. Quæ ſigna & in Græcorum, Latinorumque poematibus inueniuntur.

Non itaque reprehenderim, ſi quis vel vſitatas, vel quas ad ſuum propriè vſum ipſe excogitarit, adhibeat notas inter legendum, quibus certum quid ſignificet:

vt ſi, exempli gratia, vbi Crucem appingit, ibi intelligatur eſſe ſententia ad mores notabilis vbi circulum, ibi elocutio inſignis: & alia id genus, prout cuique libuerit. Verùm tu, me autore, nequaquam excerpendi labori parces: quod facile probabis, cum & contra ſentientium rationes cognoueris. Hinc igitur ſumanus exordium.

Rationes quare nihil ex lectione excerpendum ſcripto videatur.

Cap. X.

QVi voluptatis duntaxat, & otij conſumēdi cauſa lectitant, ij nihil fere non modo in ſcrinia, ſed ne in mentem quidem recundunt. Eſt enim meditatio, & ſcriptio alicuius laboris, quem illi omnem oderunt. Sed cum his nobis ſermo non eſt. Incaſſum enim moneamus, vt excerpendi laborem inter legendum ſuſcipiant, cum idcirco ipſi legant, ne laborent.

Non deſunt tamen eorum quoque de numero, qui lectionem diſcendi voluntate ſectantur, qui nihil ſcripto ſeponendum exiſtimant, partim ne opus inane, partim ne pernicioſum (ſic enim loquuntur) ſuſcipiant: inſtitutique ſui rationes haſce non ineleganter afferunt. Primorum (inquiunt) ſapientum temporibus, cum quidem maxime florebat ſapientia, auditione diſciplina, & commẽtatione tradebatur. Hoc Pythagoreorum in Italia, hoc Druidum in Gallia, hoc Gymnoſophiſtarum in India inſtitutum fuit. Ac

Caeſ. l. 6 de bell. Gall.

de Druidibus quidem Cæſar Commētario belli Gallici ſexto differens, eorum inſtituti rationem ita prudenter interpretatur: *quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos, qui diſcunt, literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod ferè plerìſque accidit, vt præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant.* Hæc ille. Sed longè ante Cæſarem Plato, quæ afferrent detrimenta literæ, grauiter diſputauit in Phædro. Etenim, cum literarum inuentor Theuth Ægyptiorum Regi Thamo inuentum illud memoriæ,

& ſapientiæ remedium eſſe prædicaret, Regem contra dixiſſe narrat, potiùs obliuionem allaturas propter negligentiam recordandi. *Quippe qui* (inquit) *externis confiſi literarum monumentis, res ipſas intus animo non reuoluent: quamobrem non memoriæ, ſed monitionis remedium inueniſti. Sapientiæ quoque opinionem potiùs, quàm veritatem diſcipulis tradis. Nam cũ multa abſque præceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti vulgo, cum ignari ſint videbuntur, Conſuetudine quoq; moleſtiores erunt, vt pote, qui non ſapientia ipſa ſint prædití, ſed opinio-*

ne ſapientiæ ſubornati. Quæ tria incommoda non ſubtilius excogitauit, poſuitque in Thami ore Plato, quam nos hac tempeſtate quodammodo experimur, cum chalco graphicæ artis præſidio ſcribendorum librorum facultate mirifice aucta, ſapientia aſperſorum magis amplificatus eſt numerus, quam vere, perfecteque ſapientium. Neceſſe eſt enim ad ſcientiam, quæ hoc nomine digna ſit, non libris bibliothecas, ſed cognitione mentem implere: nec excerptis refercire volumina, ſed notare in animo quicquid memorabi-

le auditur, aut legitur. Cō-
tra vero nunc fit. Plerique
omnes, vt quidque in ad-
uerſaria retulerunt, omiſſa
cura ſunt, ſegniq; animo:
tanquam ipſi iam tenerent,
quod commiſere membra-
nis: ac non potius ea re
ſcrinia illorum quam inge-
nia docta videri poſſent.
quin etiam cum doctrina
ex eo bonorum ſit genere,
quæ nec amitti, nec aufer-
ri poſſunt, nihil procliuius
factum eſt, quam, vt eiuſ-
modi commentaria igne,
aquis, furto, ab tineis, &
blattis, alijſque caſibus pe-
reant. Quare ſapienter An-
tiſtenes ploranti cuidam li-

ne ſapientiæ ſubornati. Q
tria incommoda non ſu
lius excogitauit, poſuitq
in Thami ore Plato, qu
nos hac tempeſtate qu
dammodo experimur, c
chalcographicæ artis p
ſidio ſcribendorum lib
rum facultate mirifice a
cta; ſapientia aſperſor
magis amplificatus eſt n
merus, quam vere, per
cteque ſapientium. Nec
ſe eſt enim ad ſcientia
quæ hoc nomine digna
non libris bibliothecas, ſ
cognitione mentem imp
re: nec excerptis referc
volumina, ſed notare in
nimo quicquid memora

abſurdè, fal-
niſi eo, quod
olum excer-
ſed etiam li-
rarum vſum
Ita enim
undantur ſa-
gyptij Regis
rum reper-
atonem pu-
. Quæ ta-
ano in om-
robari poſ-
ergo eſt?
rebus hu-
ndecunque
, atque re-
odis, quin
um habeat
nmodorum,

poſuit aſteriſcum, ideſt ſtellam, quæ quod prius abſconditum videbatur, illuminet, & in medium proferat. Vbi autem quod in hebræo non eſt, in græcis codicibus inuenitur, ὀβελον, *ideſt, iacentem præpoſuit virgulam, quam nos latinè veru poſſumus dicere: quo oſtenditur iugulandum eſſe, & confodiendum, quod in autenticis libris non inuenitur. Quæ ſigna & in Græcorum, Latinorumque poematibus inueniuntur.* Non itaque reprehenderim, ſi quis vel vſitatas, vel quas ad ſuum propriè vſum ipſe excogitarit, adhibeat notas inter legendum, quibus certum quid ſignificet:

vt ſi, exempli gratia, vbi Crucem appingit, ibi intelligatur eſſe ſententia ad mores notabilis vbi circulum, ibi elocutio inſignis: & alia id genus, prout cuique libuerit. Verùm tu, me autore, nequaquam excerpendi labori parces: quod facile probabis, cum & contra ſentientium rationes cognoueris. Hinc igitur ſumanus exordium.

Rationes quare nihil ex lectione excerpendum ſcripto videatur.

Cap. X.

QVi voluptatis duntaxat, & otij conſumēdi cauſa lectitant, ij nihil fere non modo in ſcrinia, ſed ne in mentem quidem recundunt. Eſt enim meditatio, & ſcriptio alicuius laboris, quem illi omnem oderunt. Sed cum his nobis ſermo non eſt. Incaſſum enim moneamus, vt excerpendi laborem inter legendum ſuſcipiant, cum idcirco ipſi legant, ne laborent.

Non deſunt tamen eorum quoque de numero, qui lectionem diſcendi voluntate ſectantur, qui nihil ſcripto ſeponendum exiſtimant, partim ne opus inane, partim ne pernicioſum (ſic enim loquuntur) ſuſcipiant: inſtitutique ſui rationes haſce non ineleganter afferunt. Primorum (inquiunt) ſapientum temporibus, cum quidem maxime florebat ſapientia, auditione diſciplina, & commētatione tradebatur. Hoc Pythagoreorum in Italia, hoc Druidum in Gallia, hoc Gymnoſophiſtarum in India inſtitutum fuit. Ac *Caeſ. l. 6 de bell. Gall.*

de Druidibus quidem Cæſar Commetario belli Gallici ſexto differens, eorum inſtituti rationem ita prudenter interpretatur: *quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos, qui diſcunt, literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod ferè pleriſque accidit, vt præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant.* Hæc ille. Sed longè ante Cæſarem Plato, quæ afferrent detrimenta literæ, grauiter diſputauit in Phædro. Etenim, cum literarum inuentor Theuth Ægyptiorum Regi Thamo inuentum illud memoriæ,

& ſapientiæ remedium eſſe prædicaret, Regem contra dixiſſe narrat, potiùs obliuionem allaturas propter negligentiam recordandi. *Quippe qui* (inquit) *externis confiſi literarum monumentis, res ipſas intus animo non reuoluent: quamobrem non memoriæ, ſed monitionis remedium inueniſti. Sapientiæ quoque opinionem potiùs, quam veritatem diſcipulis tradis. Nam cũ multa abſque præceptoris doctrina perlegerint; multarum rerum periti vulgo, cum ignari ſint videbuntur; Conſuetudine quoq; moleſtiores erunt, vt pote, qui non ſapientia ipſa ſint præditi, ſed opinio-*

ne ſapientiæ ſubornati. Quæ tria incommoda non ſubtilius excogitauit, poſuitque in Thami ore Plato, quam nos hac tempeſtate quodammodo experimur, cum chalcographicæ artis præſidio ſcribendorum librorum facultate mirifice aucta; ſapientia aſperſorum magis amplificatus eſt numerus, quam vere, perfecteque ſapientium. Neceſſe eſt enim ad ſcientiam, quæ hoc nomine digna ſit, non libris bibliothecas, ſed cognitione mentem implere: nec excerptis refercire volumina, ſed notare in animo quicquid memorabi-

le auditur, aut legitur. Cõtra vero nunc fit. Plerique omnes, vt quidque in aduerſaria retulerunt, omiſſa cura ſunt, ſegniqueanimo: tanquam ipſi iam tenerent, quod commiſere membranis: ac non potius ea re ſcrinia illorum quam ingenia docta videri poſſent. quin etiam cum doctrina ex eo bonorum ſit genere, quæ nec amitti, nec auferri poſſunt, nihil procliuius factum eſt, quam, vt eiuſmodi commentaria igne, aquis, furto, ab tineis, & blattis, alijſque caſibus pereant. Quare ſapienter Antiſtenes ploranti cuidam li-

brum amiſſum, in quem quicquid didiciſſet, retulerat. *Atqui iſta* (inquit) *oportuit animo commendare, non* l.10.c.1 *chartis.* Quod quidem ad elocutionẽ pertinet, Quintilianus diſertè condemnat, qui colligere, & ediſcere ſoliti erant, quæ idem ſignificarent vocabula, quod cum puerile, & cuiuſdam infelicis operæ, tum etiam vtile parùm cenſet: quonam turba modo congregetur. Verùm legendo, atque audiendo fieri non ſolùm nomina ipſa rerum, vt cognoſcantur, ſed vt pariter cui quoque loco ſit aptiſſimum. Hæc atque talia

non prorſus abſurdè, falſóve dicuntur, niſi eo, quod omnem non ſolum excerpendi curam, ſed etiam librorum, ac literarum vſum condemnant. Ita enim Druides, qui laudantur faciebant, ita Ægyptij Regis aduerſus literarum repertorem apud Platonem pugnat ſententia. Quæ tamen nemini ſano in omnes partes probari poſſunt. Quid ergo eſt? Vt nihil eſt in rebus humanis, ita vndecunque communitum, atque refertum commodis, quin idem admixtum habeat multum incommodorum,

partim natura ſua, partim vitio noſtro; illud faciendū videtur, primum, vt vtra ſint maiora, commoda, an incōmoda æſtimetur: deinde, vt remedia afferantur incommodis, quo pura decerpatur vtilitas.

Rationes quare aliquid ex lectione excerpendum ſcripto videatur.

Cap. XI.

SI excerpas, hæc magna emolumenta refers. Primum ipſa ſcribendi, adnotandique cura intētionem legentis exacuit, itaque le-

ctio ſit multo meditatior, eoque clarius res intelligũtur, & ſubtilius expenduntur. Deinde ipſa quoque ſcriptio & intelligentiam iuuat, & altius menti res imprimit, dum diutius immoramur in eodem, ſæpiuſq; relegimus, ac retractamus. Itaque Demoſthenes ſua manu ſi Dionyſio Halicarnaſſeo credimus octies totũ exſcripſit Thucydidem. Multa etiam manu ſua exſcripſit volumina S. Hieronymus: multa alij ſapientiſſimi viri, non tam librarij inopia, quam cupiditate profectus ex opere: quin ipſemet iunior Theo-

Niceph. l. 14. c. 3. doſius non pauca deſcripſit. Qui quidem cum totas noctes in lectione, ac ſcriptione (ſcribebat autem pulcherrime) peruigiles duceret, lucernam adhibebat, quæ artificioſa machinula ſibi oleum ipſa, ne miniſtrorum opus eſſet cura, ſufficiebat. Præterea promptum eſt aduerſus obliuionem ſubſidium: quam inter alia Stromata ſua contexendi cauſam affert Clemens Alexandrinus, *lib. 1.* vt ſibi ad ſenectutem recondat monumenta, obliuionis medicamentum, imaginem viuæ orationis, quam ex magnis viris acceperat. Ni-

mirum fallax eſt huma-
na memoria: onerata fatiſ-
cit, referta perturbatur.
Nec vocanda ſunt in exem-
plum faſtigia aut portenta
hominum, qui artem obli-
uiſcendi mallent: ſed ex
mediocritate, vulgarique
imbecillitate humanę men-
tis, æſtimanda eſt ſiue ne-
ceſſitas, ſiue commoditas.
Quid autem communi ho-
minum infirmitati expe-
diat, non poteſt clariùs,
quam ex communi om-
nium ſenſu, vſúque de-
monſtrari. Maximi enim
quique viri, & commen- l 3.ep5.
dant, & adhibent ſedu-
lam excerpendi curam.

Maior Plinius, vt Minor refert, nihil legebat, quod non excerperet, eadẽ erat Minori ſedulitas. Vt aliquid afferam exemplorum domeſticorum. Noſter Iacobus Lainius ingentem ſcientiam, atque doctrinã inter plurimas occupationes, non alia magis induſtria comparauit, quam ex multa lectione excerpens quicquid commodum videretur: quem ferunt non ante ſolitum prehendere librum, quam ſtylum. Ex hac excerpendi cura etiam plurima extitere in commune bona. Nam inde Variarum, & antiquarum lectionum

libri, inde Miſcellanea, Florilegia, inde Epitomæ, & ſummaria, inde Collectanea, Aduerſaria, & alia eiuſmodi vtilia opera prodiere. Quæ ſi ab alijs condita, ſunt legenti vtilia, ſine dubio magis cuique proderunt, quæ ipſe confecerit. Quid? quod multa, vel prætermiſſa ab alijs, vel mutilata, vel praue intellecta reperiet? iiſdem certe multo aptius, fidentiuſque, ac libentius vtetur, vt ſuis. Profecto fidem ſuperat, ſi quis, & accurate, & continenter ſcripto conſeruet quicquid memoria dignum conſtans lectio in dies offert, quanta,

quam breui egregiarum rerum copia cõgeratur. Non caret opus labore. Verùm nil ſine magno vita labore dedit mortalibus. Illa ad extremum eſt opportunitas, quæ vel ſola laborem rependit: quod poſt aliquod tempus breue electorum volumen pro bibliotheca eſt, quam vbi libri ipſi non adſint, ad manum habere, & familiarem tibi facere, & quocumque libitum ſit, circumferre modico negotio poſſis.

Quid curandum, vt excerpendi labor ſit totus ſaluber.

Cap. XII.

CÆterum, vt labor hic totus frugifer, totuſque ſaluber ſit, cauenda illa ſunt maximè. Primùm, ne hebeſcat memoria; illuſtriores quidam loci non ſolum ſcribendi, ſed etiam ediſcendi ſunt. Non enim, cum excerpẽdum dicimus, memoriæ exercitationem, quæ verè dicitur excolẽdo augeri, omittendam exiſtimamus. Quin adeo ſi fieri poſſit, quod curę adhibebãt

qui ſupra citati ſunt, in exercenda ita memoria, vt librorum præſidio nihil indigerent: idem nos adhiberi quoque cupimus; ſed quia experimento compertum eſt, memoriam longo temporum, ac rerum acceſſu oneri tandem ſuccumbere, adiumenta ſuppeditamus: & ſcriptionem non modo aduerſariã memoriæ negamus, ſed etiam auxiliatricem aſſerimus. Deinde, ne doctrina ſit ſolum adumbrata, & leuiter aſperſa, ſed etiam firma, ac ſolida, adhibenda eſt attentio; ac meditatio. Nam lectio, quæ temere fit, quæ

curſim, quæ auide, ac feſtinanter, id habet duntaxat, vt confundat ingenia, non perfundat: ſimiliter atque ingentes, & raptim effuſi imbres eluunt magis ſolum, quam rigant. Sed nos lectionem huiuſmodi ita non laudamus, vt vehementer vituperemus. Quæ roris inſtar, minutæ, placido lapſu, continentique deſcendunt aquæ, illæ penitus gremio terræ miſcentur, & arua lætificant. Denique, Helluones librorum minime probamus, eos nempe qui vorant multa, nil concoquunt. Quemadmodum corporibus mini-

me bonum gignunt habitum largiùs ingeſta cibaria, ita librorum voracitas non implet mentem, ſed inflat; non ſuccum bonum, vigoremque ingenijs, ſed pallorem quendam, & languorem inducit: vt fucum habeant doctrinæ, non ſanguinem; vmbram non corpus; tanquam Helluones obeſi ſunt, non robuſti. Cõtra id vitium præſens remedium eſt, excerpere. Nam, & cura excerpendi attẽtionem exacuit, & feſtinationem remoratur: & altiùs (vti dictum eſt) infigit menti, quæ adnotantur. Præter hæc, illud eſt vtile præce-

ptū, quod ſupra ſignificaui, vt lectionibus ſubſeciuis crebrò excerpta ipſa reuiſantur. Proderit etiam vehementèr, quæ digna exiſtimaris, ex occaſione in familiari vſu referre. Nam id (ſi quidem vitetur putida oſtentatio) cum familiares oblectabit, tum memoriam tuam ſolidabit: ac ſæpè viciſſim elicies aliquid vnde, quæ ipſe dixeris, vel confirmare queas, vel illuſtrare. Cæterum minime eſt diſſimulandum, qui ad ſolidum volunt proficere, eis lectionem quidem eſſe neceſſariam, & apprimè vtilem, nequaquam

tamen ſatis eſſe. Auditio accedat neceſſe eſt, & meditatio, & collatio, & ſcriptio. Libri magiſtri ſunt, ſed mortui. Illud habent commodi, quod ſemper parati ſunt: vbique ſui copiam faciunt: ſed ſimul illud habent incommodi, vt etiam Socrates notauit in Phædro, quod ſicubi mancum quid eſt, & obſcurum, aut minus certum, id ſupplere ipſi, declarare, corroborare non poſſunt: nec, ſi forte erratum ſit, mutare ſententiam, nec obiecta refellere, quæ omnia commode magiſtrorum viua vox pręſtat. Eam ob rem plurimi facienda

facienda eſt auditio, ac diſciplina doctoris. *Si dilexeris audire* (inquit diuinus magiſter) *ſapiens eris*, &c, *ſi videris ſenſatum euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus*. Adijcienda his meditatio vtilitatis immenſæ. Nam ſimilis videtur ciborum non modò, quæ dentibus fit comminutioni, ſed etiam concoctioni, per quam in aptum, & habilem corporis ſuccum alimenta vertuntur. Stylus vero omnia hæc adiuuat: eſt que ſimilis exercitationi corporis, per quam, & bonus habitus augetur, & vitæ quædam negotia admi- Eccl. 6.

niſtrantur. Nam exercitatio ſimul bonæ conſtitutionis eſt fructus, ſimul cauſa ac firmamentum. Atque hic eſt Macrobio teſte fructus legendi: æmulari ea, l.6.c.1. quæ in alijs probes: & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquẽ vſum tuum opportuna deriuatione conuertere. Sed quemadmodum ad ſocianda ſcriptioni lectio ſit, audi grauiſſimi autoris præceptum Seneca enim ſic loquitur. *Nec ſcribere* (inquit) ep. 8. *tantum, nec tantum legere debemus: altera res contriſtabit vires, & exauriet (de ſtylo dico) altera ſoluet. Inuicem*

huc, & illo cõmeandum eſt, & alterum altero temperandũ, vt quicquid lectione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus. Apes, vt aiunt debemus imitari quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quicquid attulerunt diſponunt, ac per fauos digerũt, & vt Virgili⁹ noſter ait, liquentia mella ſtipant, & dulci diſtendunt nectare cellas. Nos quoque has apes debemus imitari, & quæcunque ex diuerſa lectione congeſſimus, ſeparare. Melius enim diſtincta ſeruantur: deinde adhibita ingenij noſtri cura, & facultate in vnũ ſaporẽ varia illa libamẽta confũdere: vt etiamſi apparuerit, vnde ſumptum

ſit, aliud tamen eſſe, quam vnde ſumptum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturam. Alimenta, quæ accipimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cum ex eo, quod erant, mutata ſunt, tum demùm in vires, & in ſanguninem tranſeunt. Quot vero modis ſuper lectis exercere ſtylum cum vtilitate poſſimus, docet prudentèr Plinius iunior, ex quo ſuadeo plurimùm, vt cognoſcas, & diligentèr vtaris.

lib. 7. ep. 9.

Quando, quæ, quomodo, excerpenda.

CAP. XIII.

EXcerpendi verò tempus ipſa eſt lectio. Vt enim quidque notatu dignum offertur, continuò ſeligendum, ac reponendum eſt. Cæterùm ſi quando, vel per defatigationem non liceat ſcribendi laborem aſſumere; vel loci, qui in manibus eſt, pulchritudo rapiat, nec libeat interſiſtere; vel alia obſtet cauſa, veluti quod deambulans lectites, aut vbi ſtyli, &c codicis copia non ſit, apponenda eſt nota

hs quæ exempta velis, vel de integro relegendus totus eſt locus, & excerpendum, ne quid bonæ frugis excidat: idque ſiue in ordinaria, ſiue in extraordinaria lectione ſumma tene conſtantia, prorſus oblita, &amiſſa exiſtimans quæcunqne, vel per ignauiam præterieris, vel memoriæ fidelitati (nam demum fallit) credideris.

Excerpenda verò nequaquam, quæ obſeruanda ſunt omnia, ſed lectiſſima quæque. Modus itaque adſit. Nec enim, ſine cauſa reprehendit Gellius eos, qui multa, & varia lectitantes in

lib. 16. c. vlt.

quas res cunque incide-
rent, alba (vt dicitur) linea,
ſine cura diſcriminis, ſolam
copiam ſectati conuerte-
bant. Nec ſanè facilè dixe-
rim, vtrum deterius ſit plus
nimiò, an minùs deſcribere.
Illud enim operoſum, &
infinitum, hoc mancum
eſt. Rariora inuentu, &
quæ maximè timeamus ne
excidant, quamquam pri-
mæ notæ non eſſent, ex-
ciperem tamen. Vt autem
modus iuſtus inueniatur,
habenda non rerum ſo-
lum, ſed & auctorum eſt
ratio. Ex grauiſſimo enim
quoque elicere plurima æ-
quum erit, quod autoritate

præſtent. Quanquam, cum ſoleant clariſſima, licebit non pauca, quæ in ore omnium verſantur, omittere; quod obliuionem non pertimeſcant. Vt autem alij alia pro ſtudiorum diuerſitate obſeruant (quemadmodum ſupra dixi) ita etiam excerpunt, quæ ſibi maxime opportuna fore ad finem ſtudiorum, quem intendunt, exiſtimant. Vitanda in primis eſt infelix illa curioſitas, quam Gellius in familiari ſuo perſtringit, qui magnam ætatis partem verſatus in libris grande volumen elaborarat, ex multis & varijs, & remotis le-

ctionibus : verùm nihil niſi mera miracula grammaticorum corraſerat. *Quo nomine fuerit , qui primus Grammaticus appellatus , & quot fuerint Pythagoræ nobiles , quot Hippocrates & cuiuſmodi Homerus dicat in Vlyſſis domo ,* σειρῆνες , *Quam ob cauſam Telemachus cubans iunctum ſibi cubantem Piſiſtratum non manu attigerit, ſed pedis ictu excitarit* εὐρύκλεια *Telemachum quo genere clauſtri incluſerit* , & quapropter idem Poëta roſam non norit , oleum ex roſa norit. Et alia eiuſdem notæ , quæ ſiue centineas nihil tacitam conſcientiam

iuuant. At verè pronunciat Seneca. *Siue proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior.* Vitandus eſt igitur morbus iſte hominum operosè nihil agentium, & Marci Tullij laudanda prudentia, qui ſi vel duplicaretur ſibi ætas, negabat tempus habiturum quo lyricos legeret: adeò ſeuerioribus ſtudijs detinebatur. Vniuersè autem, quæ ad vitam inſtituendam conducunt, quæque virtutem, ac pietatem alant, obſeruanda cunctis, & ſegreganda cenſuerim: vt ſimul præcepta inſtituendæ vitæ, quod ſummum cuiqu e

Senec. de breuita- te vitæ c. 13. ep. 45.

debet ſtudiorum omnium eſſe conſilium, ad manus habeant; ſimul poſſint in familiari vſu, in diſputationibus priuatis, ac publicis; in literis ſcribendis, in regenda domo ſapienter depromere; quæ cùm ſibi, tùm cæteris commoditatem pariant, ac voluptatem. Ita Cæſar Auguſtus (vt exemplum clariſſimum proferatur) Suetonio teſte, in euoluendis vtriuſque linguæ auctoribus, nihil æquè ſectabatur, quàm exempla, & præcepta publicè, & priuatim ſalubria: eáque ad verbum excepta, aut ad domeſticos, aut ad *Sueton. num 18*

exercituum, prouinciarúmque rectores, aut ad vrbis magiſtratus plerunque mittebat, prout quique monitione indigerent. Modus denique excerpendi multiplex eſt. Sunt qui totos libros compilant, in ſummámque, & Epitomas redigunt: ſunt qui eximia tantùm in communes digerunt locos. Aduerſaria quidam conficiunt, ita ſubiungentes alia alijs, vt ordo lectionis affert. Alij tum, quæ ad elocutionem, ac verba pertinent; tum quæ ad ſenſus, atque ſententias, & vitæ præcepta, & diſciplinarum ſcita in vnum,

eundémque codicem conferunt : alij contra in plures, atque diuerſos ſegregant. Ratio mihi illa arridet præ cæteris, quæ tametſi aliquantùm habeat negotij, plurimùm tamen habet emolumenti, & plurimùm, vbi confeceris, afferet voluptatis. Primùm, vt quæque eo, quo legis ordine, eximas: deinde, vt in ſuum quæque locum digeras. Itaque duos minimùm libros conficias velim: alterum, in quo, vt quidque lectio ſubminiſtrat, exſcribas, nullo alio, niſi lectionis ordine: alterum in capita, & quoſdam communes

diſtinctum locos ; in quos ea ipſa , quæ accuratim in priore ſunt exempta volumine, digerantur, non alitèr, atque attenti negotiatores rationum conficiunt tabulas. Hi enim geminos habent libros, puſillum vnum, alterum grandem : illum aduerſaria, aut ephemeridem ; hunc calendarium, & codicem dixeris. In eum ſingulorum dierum rationes accepti, expenſiue tumultuariè referunt, nempè ſerie illa, quam obtulit vſus, in hunc transferunt inde, diſponúntque certa in loca, quæ conſeruata volunt. Huius meæ induſtriæ

rationem hanc habeo. Priorem librum confici volo, in quem continentèr, vt occurrunt, quæ ex quopiam opere ſeliguntur, notentur, quia magna eſt oblectatio, atque adeò opportunitas, ſi vno quaſi contuitu, quæ in vno quopiam libro ſunt egregia, recognoſcas. Id autem fieri non poterit, ſi in ordinẽ non lectionis, ſed rerum excerpta diſpenſes. Sparſa enim erunt in plurima capita, quæ magnum, inſulſúmque negotiũ ſit ſingula perſcrutari. Deinde ille contuitus, quo conſequenter excerpta recognoſcuntur, operis totius

memoriám refricat. Præterreà multa offeruntur legenti egregia, quæ certum in caput nullo modo, aut ægrè poſſis referre: quæ tamen in aduerſarijs nullo labore conſignabuntur, nec magno opere cum voluntas feret inuenientur. Itaque prior hic labor id genus aduerſaria conficiendi mea ſententia multúm voluptatis habet, multùmque commoditatis: neque vllius tædij declinandus eſt metu. Altera autem opera illa diſponendi in ſua loca, & capita, quæ ad eandem rem faciunt, manifeſtum pretium habet. Namque ſub

titulo (exempli gratia) amicitiæ, prudentiæ, timoris, ac rerum huiuſmodi, tam multa breui videbis coaceruata ex operibus, quæ legeris, vt ipſemet mireris. Nec vnquam poterit deeſſe iis de rebus ſapienter, & erudite, vel cum admiratione audientium copioſa, & nobilis diſſerendi ſuppellex. Non deſunt quidem huius generis libri iam editi. Sed nec tam appoſite alienis (vti ſupra quoque ſignificauimus) neque tam iucunde, neque tanta fiducia, & autoritate, vt noſtris vtimur. Ac ſæpe alij alia pro ingenij ſui, inſtitu-

tionis, atque conſilij ratione obſeruant, quæ præteriere, qui libros editos concinnarunt. Itaque ceſſandum non eſt, & ante omnia perdurandum. Superabit fructus laborem: qui tamen leuari etiam poteſt (ſi cui facultas) ſit amanuenſis auxilio. Nam in aduerſarijs latus margo relinquitur, & vel nota affigitur, vel vox ſcribitur index capitis, ad quod quidq; tranſferri poteſt: tum traditur transferendum amanuenſi, magno laboris, temporiſque compendio. Atque equidem, cuius res patiatur, ei omnino ſim autor

vt è tenuioribus adoleſcentibus probum aliquem & induſtrium, cui pariter ſtudendi copiam faciat in eum vſum adſciſcat. Quo enim pulchrius ac maiore fœnore ſumptus fiat, quam in ſapientiam comparandam? Quanti autem emas vitam tibi quodãmodo geminari? Nam ſi ſolers contingat nec indoctus adiutor, commoda item plura conferendo etiam, & diſſerendo ſuppeditabit. Adde quod è Republica fuerit bona multorum ingenia, quæ domeſticis anguſtijs preſſa iacent, & inutilia conſeneſcunt in tene-

bris, excitari eadem opera, & ad frugem lucémque cũ priuato eorum, & communi bono perduci, Cui verò nec adſit a manu enſis copia, nec duplex labor duplicis conficiendi voluminis tolerabilis videatur, is aduerſaria cõficiat, lato) vt dixi) relicto margine, reique ſummam in eum extrahat, tum indicem lucu-lentum conficiat, ita vt quę diuerſis notata ſunt locis ſub vnum contribuat caput: & pagellas, in quibus illa inueniri queant, adſcribat. Illud quoque laborem leuabit, ſi quam breuiſſimè res excerpatur. Quam-

quam equidem, vbi verba ipſa autorum aliquid habent gratiæ aut virium, labori nequaquam pepercerim. Vbi locus autem prolixior eſt, ſatis erit ſententiam breuì complecti, & adijcere, Vide vel ſimilem vocem, quæ etiam ſignificet quam præclarus, aut quam prolixus ſit locus. Quæ ſigna cuiq; ſuo promptum eſt ingenio adnotare. Denique etiam, atque etiam moneo primum excerptorum id genus libros præſertim aduerſariorum, vt quiſque potiùs modicos, quam vaſtos efficiat, vt ferè geſtare in ſinu queat, & ad

manum habere: deinde, vt minutis quidem, cæterùm quam optimis, & pulcherrimis, & clariſſimis caracteribus ſcribat, quo reuiſat libentiùs. Illecebra enim lectoris eſt ſcriptoris concinnitas. At refercire volumina, quæ pigeat deinde reuiſere abutentis eſt labore, ac tempore, id eſt vitam temere conſumentis.

Silentio, an voce clara legendũ.

Cap. XIIII.

AD extremum præſtet ne ſilentio, an voce clara legere, vt quæratur,

Google

facit grauium autorum do-
ctrina, moſque diuerſus.
Vt autem miſſis diſceptationibus res breuitèr tranſigatur. Primum omnium Poëtas legentibus, & claram vocem, & cantum quendam adhibēdum exiſtimo. Ita Auſonius Gallus Nepotem, quem ad poëſim erudiebat, inſtituit: vt Homerū aut Menandrum legens, hoc eſt Poëtas, *flexu & acumine vocis innumeros numeros doctis accentibus efferat, affectuſque imponat legens. Nam diſtinctio ſenſum auget* (inquit) *& ignauis dant interualla vigorem.* l.1.c.3.
Quintilian⁹ quoque Poëta-

rum lectionem vult eſſe cum quadã ſuauitate grauem: & non quidem proſæ ſimilem quia carmen eſt, & ſe Poëtæ canere teſtantur, non tamen in canticum diſſolutam. Ratio huius præcepti eſt, quod aures ad eam verſuum ſuauitatem aſſue fieri debent, atque eſt ingeneranda animo quædam in conſimiles modos, ac ſonos verba, voceſque componendi facilitas. Tum etiam concitantur voce legentium animi, & faciliùs in eos formantur affectus quos carmine continent. Ac mihi quidem haſce ob cauſas ex vſu fore

videtur

videtur adoleſcẽtibus quoque eloquentiæ ſtudioſis, vt orationes ſæpe, ita legant, ac ſi pronuntiarent, agerentque. Quippe excitatur ingenium actione illa: incaleſcunt facile motus, aures ad oratorios numeros aſſueſcunt. Tota illa narrandi, confirmandi, vrgendi, deplorandi, accuſandi ratio clariùs eminet, acrius commouet, tenaciùs hæret. Quod ſi huiuſmodi ſenſus ſegniùs in quopiam ſequerentur, vltro enitendum cenſuerim vt excitentur: vt incendatur ira, vbi ardet orator: miſericordia, vbi ille miſeretur: lacrymæ

quoque cedant, vbi ille deplorat. Quæ cum adoleſcentibus vtilia ſint, vt planè ſunt, erunt certè maturitatem quoque adeptis interdum accommodata ad excitandos ſpiritus, vigoremque, & alacritatem redintegrandam. Sed quoniam planum eſt, ſicum excerpendi cura hoc modò legatur, non ſequnturos affectus, & collapſuros, vbi extiterint per moram, interruptionémque ſcribendi: quæ ſic lecta fuerint, relegere oportebit, vt ex his quoque ſua meſſis, ac vindemia colligatur. Vbi verò de diſciplinis altiori-

bus legitur, conſuetudo cõmunis edocet voci parcendum. Et S. Iſidorus eadem re intelligẽtiam iuuari putat: Et ſanè vbi mens in res potiùs, quam in verba defigitur, & penitus in intima rapitur, id fit quod de S. Ambroſio, S. Auguſtinus refert. *Sed cũ legebat* (inquit) *oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem, & lingua quieſcebant.* Idem tamen duas ſubijcit cauſas, quare præſtanſtantiſſimus ille vir tacitus legeret: alteram, ne præſentium quiſquã de obſcurioribus quæ audiret interrogans, interpellaret, &

De ſum bo. l. 3. c. 14.

l. 6. cõf. c. 3.

in tanta penuria temporis minus, quàm vellet, voluminum euolueret: alteram, vt vocem, quæ ei facillime obtundebatur ſeruaret. Quas cauſas dum exequitur Sanctus Auguſtinus, nec improbare ſe clarè legendi morem nec nullum fuiſſe ſignificat. Improbat autem Iſidorus quod & corpus delaſſet, & vocem obtundat. Cæterùm vniuerſe pronunciari non poteſt. Etenim vbi vox quæ facile obtundatur ad publicas dictiones, quod S. Ambroſius faciebat ſeruanda erit, vel adeò corpus imbecille vt laborem claræ

lectionis non ferat, prorſus erit has quoque ob cauſas ſilentio legendum. Contrà tamen ferè euenit, vt & vocem clara lectio, & valetudinem iuuet. Itaque Plutarcus inter exercitatio- *Plut. de tu. bo. valet.* num genera, quæ valetudinis cauſa ſuſcipiuntur, mirificè commendat exercitationem vocis, quæ diſputando legendóve, aut recitando fiat. Et Plinius dum nuntiat, quemadmodum in Thuſcis diẽ æſtate *l. 9. ep. 36.* diſponeret, inter alia exercitationum genera, *Orationem græcam* (inquit) *latinám ve, non tam vocis cauſa quam ſtomachi lego, pariter tamen*

& illa firmatur. Itaque & corpori & menti ſæpe numero prodeſt clara lectio, eóque laudatur: plùrimum tamen tacitè fiet: quod & intelligendi, & excerpendi cura magis erit accommodatum.

DE VITANDA LIBRORVM MORIBVS NOXIORVM LECTIONE, ORATIO HABITA ROMAE IN CLASSE Rhetoricæ anno 1603.

Cum diſcipuli dimitterentur in autumnalibus ferijs prid. Kalend. Octob.

LIbētiſſimè equidem hac voce, quā fortaſſè poſtremam in hac ſuauiorum, quemadmodum vulgò dicuntur, mu-

ſarum domicilio mitto, quid de toto huiuſmodi ſtudiorum genere ſentiam, protuliſſem, ſimiliter atque ij ſolent, qui in aliquo diù verſati hoſpitio, in diſceſſu, quam ſibi placuerit ea ſedes, pronuntient. Sed otium adornandæ pro dignitate, explicandæque ſententiæ nactus non ſum. Neque enim egregia forma, quam de ijs animo comprehenſam habeo, ſine diligenti meditatione, diuturnáque cura deſcribi poteſt. Quando igitur hoc minùs licuit, verti me in alteram partem, vt id, quod in ijſdem mihi maximè di-

ſplicet, explicarem. Sed benè indignamini. Non iſtud volui dicere. Nihil eſt in ijs quod vel mihi, vel cuiquam ſano diſpliceat: ſed in certis hominibus à quorum peruerſitate nihil eſt tutum. Quid enim eſt adeo præclarum, ac ſanctum quod paruorum hominum vitia non peruertant? Ergo quoniam multi ingenio pariter, atque humanitate abuſi, fœdiſſimis rebus ſcripta ſua contaminarunt, illud mihi hoc in ſtudiorum genere perincommodè videtur accidere, quod plerique adoleſcentium ad ea ſcripta vel temerè delati,

vel ſpecie vtilitatis illecti, dum cupiũt aſſueſcere benè dicere, diſcunt improbè facere: dum expolire ſtudent ſermonem, inquinant vitam: flores denique dum colligunt phraſium, pudicitiæ perdunt. Quod malum ſine dubio multò grauius eſt opinione multò-rum, ac latiùs manat. Atque equidem perpauca tractaui, in quibus ita mihi adeſſe eloquentiam vellem. Nihil enim vereor quin, ſi odium illud, quod res meretur ipſa, egóque iam diu concepi aſſequi, & exæquare dicendo poſſem, vos me omnes in tur-

pibus libris, tanquam immani aliqua beſtia, ac dira peſte fugiendis extermi- nandis, execrandis ſuperaturi eſſetis. Dicam tamen quam potero diligentèr: ac ne cui quid relinquatur, quod ſuę nequitiæ dum talia opera legit, obtendat, primo loco oſtendam, adoleſcenti librorum à virtute abhorrentiũ lectionẽ nullo pacto neceſſariã eſſe: deinde eſſe quã maximè pernicioſam; poſtremo homine Chriſtiano planè indignã. Vos Aud. qui mihi toto hoc anno operã dediſtis, adhibere tãtiſper animũ ad vltima hæc verba, quæ ſolent

autoritatis eſſe grauiſſimæ, ac ſequimini cogitatione dicentem. Spondeo vobis non longæ attentionis perpetuum commodum fore. Poteram nonnihil afferre auribus veſtris iucundius, ſed ſalubrius animis nihil. Multa ſe offerebant, quæ veſtris ſtudijs, ſed nihil quod magis ſiue vitæ meæ inſtituto, ſiue ætati veſtræ, moribuſque congruret. Si totus annus traditus eſt literis, tradatur breuis hæc hora virtuti, Aio igitur, quiſquis ille autor ſit, ſiue antiquus, ſiue recens, ſiue aſtricta numeris oratione, ſiue ſoluta, Si fœda ac tur-

pia tractet, eum ab adoleſcente, neque ſententiarum, neque vocum, neque artificij, neque vllius rei cauſa attingi oportere. Atque hoc quidem facile dabitur ſi de latina lingua, & autoribus ijs, qui ea demortua latinè ſcripſerunt, ſermo ſit: ſin autem de veteribus, non ita facilè concedetur. Ego verò vniuerſè pronuncio, & quotquot vllo vnquam fuere ſeculo puræ latinitatis impuri argumēti autores, ſententia mea complector: ex quo etiam intelligi volo, quo numero habendi ſint ij qui vernacula cuiuſuis

gentis lingua conſcripti, nullam vtilitatis, ne vmbrã quidem, & imaginem habent. Interim de latinis ſententiam meã haud magno negotio, vt mihi quidem videor, & apertè ita confirmo. Etenim ſi animo circũſpiciatis magiſtros, ex quibus latinè diſcimus quacunque agendum de re ſit extare duces minimè virtuti contrarios intelligetis. Placet rem cognoſcere militarem? Extant præ cæteris Frontinus, ac Vegetius, quos tutò adeatis. An ruſticam? habetis Palladium, Columellam, Varronem, Catonem, qui artem inno-

centiſſimã virtutiſque magiſtram innocenter, ac ſanctè docent. An extruendarum ædium, arciũ, vrbium vultis, totiuſque architecturæ noſſe vocabula? Erit pro optimo Nomenclatore Vitruuius. De medicina cupiet quiſpiam elegantèr, ac purè loqui, adeſt Plinius adeſt Cornelius Celſus alijque, quorum egregiè ſana oratio eſt. Ille latinam ſupellectilem optat ad ius ciuile ornandum: adeat veterum iuriſperitorum veſtiaria, totám que Pandectarum locupletiſſimam, ac mundiſſimam apothecam. Eſt qui philoſophiam

de morib. exornare cupiat eleganti ſermone, Seneca in promptu eſt, magiſter morum optimus, latinitatis non malus. Ille de natura diſſerere latinè ſtudet, multa idem Seneca, multa Plinius in tota naturæ vniuerſitate magnificus, nonnulla Lucretius bona fide tradent. Quid? ſcribenda Hiſtoria eſt? An deſunt nitidiſſimi, atque vberrimi fontes Saluſtius, Cæſar, Liuius, Curtius? Ediſcenda dicendi præcepta? Bonus, piuſque Rhetor Quintilianus eſt. Ac denique, ne ſingulos quaſi riuulos ſecter vnus inſtar omnium parens

latinæ linguæ Tullius viuit, qui tam varia, tam multa inexhauſta illà ingenij ſui vena edidit, vt ei, qui ipſum terat, ad nullam rem aptè, ornatéque promendam deeſſe poſſit oratio: ita verò vbique fauet honeſto; vt liceat ſatis apertè altiſſimum Dei videre conſilium: qui linguæ latinæ, quã Eccleſiæ ſuæ norat vſui fore eum voluit Magiſtrum eſſe à quo teneræ Chriſtianorum adoleſcentiũ mentes non magis ad dicẽdum, quam ad agendum rectè informarentur. Video quid ſuperſit Certè poëticam dicet quiſpiam è puris, &

integris fontibus hauriri non poſſe : ſed neceſſariò aurũ, gemmáſque poëticas è luto eſſe, ac ſordibus colligendas. Quin etiam idcirco patres, & Antiſtites Chriſtianæ religionis, cùm alia damnarent noxia moribus, antiqua tamen monumenta linguæ latinæ cauſa retinuiſſe. Sentio. A. cuius ſit hæc ratiocinatio peſtilens. Eius eſt vaferrimi ac teterrimi caſtimoniæ hoſtis, qui ſolemne hoc habet, vt vitia, quæ nuda omnes oderunt, perſona aliqua ſiuè cõmodi, ſiue lucri contecta vendibilia faciat. Meus verò hic eſt ſenſus, &

veſter, opinor. Si alterutri pereundum, aut periclitandum eſt, poëſi, aut pudori: ſaluus ſit pudor: quin illa citiùs pereat, quam hic periclitetur. Sed nõ ita eſt. De honeſtiſſima, ſaluberrimáque facultate peſſiméis meretur, qui eam exiſtimat ad prædicandam virtutem genitam, aduerſariam eſſe virtuti. Ad poëticam chriſtiano, atque adeo homine dignam nulla eſt neceſſitas graue olentes illas cloacas adeundi. Ac viri ſapientes, vt in Marco Tullio proſæ, ita in Virgilio aſtrictæ orationis principe Dei agnoſcunt, venerantur-

que ſapientiam, qui voluit Poëtam optimum eundem ac pudiciſſimum eſſe, quid? præter Virgilium num alij deſunt? Lucanus. Silius, & (ſi pauca demas) Statius: tum Valerius Flacus, Claudianus, non ij quidem ſunt in quibus ego multum adoleſcenti ponendum operæ cenſeam, nihil tamen ferè habent, quod mores oppugnet. Vt omittam viros probitate inſignes, poëtas non ignobiles Prudētium, Boëtium, Paulinum, Iuuencum, Fortunatum, Sedulium, alioſque nonnullos, quorum verſus docent ſi non quam cultæ, certè

quam verecundæ debeant eſſe Muſæ Chriſtianæ. Accedunt multa ex autoribus improbis excerpta Horatius maxima ex parte tolerandus eſt : Perſius propè totus. Opera habet Ouidius quædam, præſertim quæ factus exilio melior dolenter cecinit : quibus non ſolum caſtè alatur ingenium, indoleſque poëtica, ſed & quodammodo ingeneretur, è Martiali delecta quam plùrima ſunt non mala. Ex ipſo illo fœtido cœno Catulli, Tibulli, Propertii ſi quid erat dignum adoleſcentium oculis, extractum eſt, idem in

Iuuenali, idem in Plauto, idem in alijs eſt factitatum planè, vt nulla ſit cauſa cur ſe quiſpiam conijcere in cœnum ipſum velit. Dices, deeſt tamen adhuc aliquid. Vnde nam petentur ad amatoria deſcribenda voces atque ſententiæ? O impudentiam, o fœditatem: vel belluarum vita indignam! In his tu vocibus, ac ſententijs educandam putas tèneram ætatem? Neceſſè erit ea diſcere, quæ ſcelus eſt facere? Audite, audite quid hac de re cenſeant illi ipſi, qui paulò ante contra nos producebantur ſanctiſſimi Patres.

Antiqui (inquiunt) *libri ab Ethnicis conſcripti propter ſermonis elegantiam, & proprietatem permittantur.* Quid ergo eſt? Num promiſcuè eorum copia cuicunque fiet? *Nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.* Quæ Præceptores prælegunt, quamuis fera, ac venenata ſint, tamen interiectis ſalubribus monitis, occupata in alijs rebus audientium cogitatione magna ex parte mitigare, & quaſi cicurare poſſunt. Et tamen vetant viri ſapientiſſimi eiuſmodi autores quacunque ratione prælegi pueris Num igitur ipſiſmet pueris

veluti gladius permittentur? Quam viam præeunte magiſtro non ingrediuntur abſque periculo eam ſolitarij calcabunt? Eritne aliquis ita demens, qui exiſtimet id neceſſe eſſe Diſcipulo diſcere, quod interdictum ſit præceptori docere? Me verò iam propèmodum pudet autoritate Sanctiſſimorum Patrum abuſum in ea re, in qua idem eſt Fabii Quintiliani hominis Ethnici, hoc eſt Baccho ac Veneri ſeruientis præceptum. Volumine enim inſtitutionum ſuarum primo, cap. 8. plurimùm monet cauendum, vt teneræ

Quintil. l. 1. c. 8.

mentes

mentes non modò quæ diſerta, ſed magis, quæ honeſta ſunt, diſcant. Itaque non autores modò, ſed & partes operis deligendas: penitúſque elegias, quæ amant, & fœda Hendeca ſyllaba, & quæcunque officere poſſint moribus, amouenda. Quare deſinat quiſquam ſpecie neceſſitatis colligendi vocare in præceps nimis in lubrico poſitam perſéque lapſantem adoleſentium, ac puerorum ætatem. Quid? monumēta recens edita à pijs, optimíſque poëtis; conſcripta dictionaria, promulgati Parnaſſi, theſauri to-

tius deprompti latinitatis, exiguúmne afferunt præſidium, vt aureis veterum ſententijs, ac verbis vtare, ſine vlla neceſſitate ingrediendi ſentinas? Et quoniam locus eſt gloriandi, de me etiam loquar. Iſtorum ego librorum pleróſque nunquam putaui mihi legendos, nec legi: & tamen ſi opus foret, non infami aliquo Apolline, ſed Chriſto auſpice ſanctitatis parente, elegiam, aliúdve carmen non illepidum, aut iniucundum condi à me poſſe conſiderem. Venio nunc ad alterum caput; quod quidē non tàm argumenta,

qnám lacrymas poſtulat. Verumtamen, ne quis me temerè putet tragœdias agere: & perniciem hanc ex animi mei anguſtijs, ſeu ſcrupulis, vt quidam loquuntur metiri; aliorum in primis peritiſſimorum Iudicum, ac teſtium exceptione omni maiorum ſententias, ac teſtimonía breuì complectar: tum ad rationes, & argumenta deſcendam. Ariſtotelis, ſiue prudentia, ſiue naturæ cognitio, cui audita, & nota non eſt? Hunc hominem quidã ſtatuerunt hominũ apicem ſummum ac finem: vt ſi conetur natura admirabilius

ingenium ingenio eius proferre, non queat. Id ita ſit, necne, ſtatuere in præſentia nihil intereſt. Illud ſatis eſt huic loco, fuiſſe virum ſapientem, rerum humanarum peritum, nullo inani timore in iudicando corruptum, nullis religionis immodicæ ſolicitudinibus perturbatum. Is igitur, qui non audiuerat delapſam è cælo ſapientiam, qui æterna in cælo gaudia repoſita virtuti eſſe ignorabat: vitio apud inferos neſciebat parata ſupplicia, nullum finem habitura: tantum rei natura, bonique communis ſtudio du-

cebantur, in hunc modum de puerorum educatione diſputat, octauo de Politicis libro.

ὅλως μὲν οὖν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως ὥσπερ ἄλλο τι δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν. ἐκ τοῦ γὰρ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν, γίνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς· μάλιστα μὲν ἐκ τῶν νέων, ὅπως μήτε λέγωσι, μήτε ἀκούωσι μηδὲν τοιοῦτον. *Et ſtatim ſubijcit:* Ἐπεὶ δὲ τὸ λέγειν τι τῶν τοιούτων ἐξορίζομεν, φανερὸν, ὅτι καὶ τὸ θεωρεῖν ἢ γραφὰς, ἢ λόγους ἀσχήμονας. ἐπιμελὲς μὲν οὖν ἔστω τοῖς ἄρχουσι μηδὲν μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφὴν εἶναι τοιούτων πράξεων μίμησιν.

Art. 8. Polit c. vl.

Id eſt. Omnino igitur turpes ſermones è Ciuitate oportet, non minùs, quam quiduis aliud noxium à le-

giſlatore exterminari. Ex licentia enim facilè dicendi turpia, oritur & perpetrare. Maximè verò cauendum eſt, ne iuuenes, vel dicant tale quidpiam, vel audiant. Paulò poſt verò adiungit, vt neque intueantur. quando (inquit) fœda loqui arcemus, apparet etiã nos præcipere ne quid ſpectetur, ſiue oratione, ſiue pictura expreſſum, quod pudendum ſit. Curæ igitur principibus ſit, ne qua in ciuitate talium actionum imitatrix ſtatua, tabuláve cernatur. Nónne videtis, quò hominis Ethnici, qui terræ, non cœlo homines educabat, progreſſa

diligentia ſit? Dicere, audire, intueri quocumque modo quid turpe iuuenes vetat. Quid rogo de lectione ſentiat: in qua, vt mox oſtendam, propè omnia nocendi capita continentur? Plutarchus in rebus ad vitam, moréſque pertinentibus paucos habet pares, haud ſcio, an vllum ſuperiorem. Is libellum de audiendis à iuuene Poëtis ſcribendum ſibi putauit: vſque eò temerè quemlibet lectitari perniciosum exiſtimabat: apertéque fatetur, pueros ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι μᾶλλον, ἢ ταῖς ὁδοῖς, *in lectionibus magis*,

quam in viis Pædagogi du-ctu indigere. Et in Commentario de Puerorum educatione, monet Parentes, vt filios diligenter ab omni verborum turpitudine auocent: quia (inquit) quemadmodũ Democritus ait, Oratio actionis eſt vmbra. Nimirũ, quia quæ quis facit, hæc & loquitur: quæ loquitur hæc propè abeſt, vt faciat. Idcirco celeberrimus legum lator Charondas vetuit omnino quempiam ciuium fœda loqui. Ne factis (inquit) obſcœnis animum inquinent, mentémque impudentia, & ſceleribus compleant:

quare turpia loqui, inter turpia poſuit, ſubiecitque ἔστω δὲ καὶ αἰσχρὸν εἰπεῖν τὸ αἰσχρόν. At (inquies) lego; non loquor. Quaſi vero quæ legis, ſi non ore, ſaltem mente non dicas. Atqui meminiſtis, opinor, vt Baſilius ille ſanctitate, rebus geſtis, ſapientia, & eloquentia magnus, quæ dicuntur de prauis, turpibúſque ſermonibus abſque vllo diſcrimine, tum ijs, quæ leguntur, tum ijs, quę dicuntur, attribuat.

ὅταν δὲ, loquitur de Poetis, ἐπὶ μοχθηροὺς ἄνδρας ἔλθωσι, τὴν μίμησιν ταύτην δεῖ φεύγειν ἐπιφρασσομένους τὰ ὦτα οὐχ ἧττον, ἢ τὸν Ὀδυσ-

ὁσίᾳ φασὶν ἐκεῖνοι τὰ τῶν σειρήνων μέλη.
Vbi verò Poëtæ ad ſceleratos homines venerint, talem Poëſim, atque imitationem fugere oportet auribus obturatis, atque obſeptis, non minùs, quàm illi dicunt Vlyſſem Sirenum carmina præteruectum. Quæ cùm planè vir ſanctus de lectione præcepiſſet: huius neceſſitatem præcepti, vt oſtendat, ſubiicit, id quod vulgò de ſermone circumfertur, ἡ γὰρ πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθεια ὁδός τίς ἐστι ἐπὶ τὰ πράγματα. *Nam via eſt adfacta conſuetudo loquendi quod minùs decet.* Itaque quæcunque congeri ſolent ad impurè dicta reprehenden-

da, ea omnia paritèr, multóq; magis de lectione prolata putatote. Sed vos iam diu, niſi fallor, expectatis eum, quē antiquitas propè Deum habuit, ſingularíq; Dei munere prædicauit. veluti Aeſculapium ad corporum, ita ad animorum ſanandos morbos conceſſum mortalibus, Platonem. At hic ſeptimo de legibus Dialogo vno verbo ſe pronuntiaturum præfatus, *Hoc* inquit (dicā latinè ne græca inculcata cuiuſpiam aures offendant) *equidem arbitror quod mihi, ab omnibus concedetur. Multa à Poetis probè multa etiā cōtra eſſe dicta*

Quod ſi ita habet, multorum ediſcendorum ſtudium Iuuenibus periculoſum eſſe aſſero. Nihil breuius potuit, nihil fortius dici. Multa ſunt in Poëtis mala igitur multa iuuenibus periculoſum eſt diſcere. Videtur omnino concluſio firma: ſed nobis nunc ſatis eſt affirmantis autoritas. Si iudicio viri ſapientis ex omnium hominum ſententia ſtandum eſt profecto haud inania nos pericula fingimus, vbi tantus ille ſapiẽs pericula eſſe denuntiat. Quid autem dico pericula denũtiat? Quid rogo, celebrius eſt, quam Platonem vſque eo à ſcri-

ptoribus malis reipublicæ ſuæ pertimuiſſe, vt ex ea etiam eum, qui venerationi ſemper, ac miraculo fuit eijciendum putauerit, Homerum? Atqui id ipſum, qua grauitate verborum, quam ſeuerè ſanciat, vt arbitror, non ita vulgatum eſt. Nunquam enim ſatis præcepiſſe cauiſſéque ſibi videtur. Secundo de Republica libro cum argumẽtum hoc fuſè tractaſſet ad idem in decimo refert ſeſe: ac præter cætera multa, eius notæ Poëtas proditoribus, ſimiles decet eſſe. *Nam ſi quis* (inquit) *in Ciuitate hoc moliretur, vt o-*

ptimates deterioribus ſubijceret, ac ſtultæ multitudini veluti mãcipia addiceret eos, qui præeſſe deberent, ac poſſent, is proditor haud dubie cẽſendus eſſet. Atqui hoc ipſũ (inquit) *Poëtæ noxij efficiũt: rationẽ, quæ pars optima in priuata cuiuſq; quaſi ciuitate, ac Republica eſt, quam præeſſe, dominaríque oporteret, ei parti, quæ fera eſt, & ad ſeruitium nata, indigniſſimè mancipant cæcóſque, ac temerarios animi motus, quaſi poſtremæ ſortis plebeculam aſſentando corrũpunt vt nolint pati iugum, ſed vt inuadere per ſummam iniuriam audeant principatũ.* Hæc eo loco diſputat Plato. quibus quid proferri grauius

poteſt? Num dirius & immanius proditione crimen? Num infame vllum magis, quã proditorum eſt nomẽ? Num exitium maius, quam opprimi Ciuitatem, quam omnia perturbari, quã tyrannidem pati? Et tamen vir ille prudentiſſimus, cũ hæc omnia congeſſiſſet, animaduertite quæſo, quid addat. *Sed maximũ* (inquit) *quod emanat incõmodum, nondum diſertè indicauimus. Illud enim grauiſſimum profectò eſt, quod probos quoq; viros paucis admodũ exceptis malus Poëta poſſit corrumpere.* quid cenſeat de adoleſcentibus, quorum nec ratio, nec virtus

corroborata eſt, qui & probos deprauari poſſe viros affirmat? Quam deteſtabile genus hoc proditorum iudicat, qui non ſolum improbos, ſed etiam probos in fraudem queant inducere? Quid ab alijs Poëtis timeat, qui tantum malum ab Homero formidat? Quin etiam idem in libris legum ſemel atque iterum primùm in ſeptimo, deinde in octauo decernit, vt integri, ſapienteſque Iudices conſtituantur, ſine quorum poteſtate, iudicio, ac probatione nullum recipi, aut vulgari in Ciuitate poëma fas ſit. Hunc hominem

in tenebris caligantem, tam cautum in remouendis cupiditatum illecebris, tam vigilantem in rectis opinionibus, virtutibúſque ſuorum Ciuium conſeruandis; quid facturum fuiſſe cenſetis, ſi noſtras ſpes totam cõplectentes æternitatem, ſi clariſſimam nobis obortam diuinitus lucem; ſi denique ſancitam Dei ſanguine virtutem nouiſſet? Neque ſingulorum hæc hominum duntaxat in illa errorum nocte fuere iudicia, ſed etiam populorum. Maſſilienſes nullum aditum Mimis in ſcenam dabant, ne vt Valerius lo- *Val. Max. l. 2. c. 6.*

quitur, cùm eorum argumenta maiori ex parte ſtuprorum continerent actus, talia ſpectandi cõſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumeret. Lacedæmonij neque comœdias ſpectabant, neq; Tragœdias, vt quemadmodum ait Plutarchus, neque ſeriò, neque ioco audirent eos, qui legibus aduerſa dicerent: ijdem Archilocum Poëtam, cum Spartam veniſſet, eadem hora eiecerunt, quod eum acceperant ſcripſiſſe, melius eſſe abijcere arma, quam mori. Addit Valerius eius quoque libros è Ciuitate exportari iuſſiſſe, pa-

Plut. in Apoph. Va. Max. l. 6. c. 3.

rùm verecundam eorum lectionem, & pudicam ratos: plúſque, quàm prodeſſet ingenijs moribus obfuturam. Quid igitur Chriſtianos populos pro conſeruanda, ac munienda virtute decet efficere, cum talia Ethnicæ nationes præſtiterint? Non deſunt grauiſſimæ voces, & querimoniæ Chriſtianorum ſapientum, Origenis, Baſilij, Nazianzeni Chriſoſt. Hieronymi, Auguſtini, aliorum. Sed ego, vt cœpi, malo rem totam eorum conficere teſtimonijs, quos minimè ignoramus peiorem noſtra conditionem

fuiſſe ſortitos; vt pudeat nos in pudicitiæ cęterarúmque virtutum cuſtodia hominibus cedere, quibus præmiorum ſpe, luce veritatis, religionis ſanctitate, diuinorum auxiliorum affluentia, incitamentis denique & præſidijs omnibus tantopere anteimus. Nam

5. de ci. c. 18. per huiuſmodi veterũ ſtudia (vt S. Auguſtinus de Romanorum virtutibus, & imperio argumentatur) *propoſuit nobis Deus neceſſaria commonitionis exempla: vt ſi virtutes quarũ ſimiles Ethnici pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima ciuitate non tenuerimus, pudo-*

re pungamur ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur. Prodeant igitur autores latini poſt græcos; duoque inſtar ſint omnium. Non ignorauit hoc malum, neque diſſimulauit vir ſapientia iuxta, & eloquentia clariſſimus Marcus Tullius: qui non ſolùm in procemio tertij eorum librorum, quibus Tuſculanas quæſtiones illigauit, inter cauſas quibus imbuimur erroribus, ac deprauamur, Poëtas adnumerat: ſed & in ſecundo eorundem librorum, ſic diſputat. *Vidéſne Poetæ quid mali afferant? lamentantes inducunt fortiſſimos viros, mol-*

liunt animos noſtros ita ſunt deinde dulces, vt non legantur modò, ſed etiam ediſcantur. Sic ac malam domeſticam diſciplinam vitámque vmbratilem, & delicatam cùm acceſſerunt Poëtæ neruos omnes virtutis elidunt. Nõ potuit pronunciare ſeueriùs, quàm cùm dixit malorum Poëtarum lectione neruos virtutis omnes elidi. Neruis eliſis membra collabi neceſſe eſt, admirabilis hæc totius corporis fabrica diſſipatur. Et ſanè beſtiæ ſunt, quarum virus hoc efficit. quos enim videmus aliquando ita nutantes, vt ſtare non poſſint; qui aſſiduè ſaltãdo

varias ad vrbes ſpectaculum miſerabile circumferunt, eos vulgò narrant in Apulia à Stellionibus morſos. At venenum ſcriptoris ſcelerati multo eſt peius. Illud corporis nonnullos relaxat neruos, hoc virtutis omnes elidit, illud vitam lędit, hoc adimit: & vitam illud tandem lædit mortalem, ac brutam, hoc cæleſtem adimit, atque æternã. Sed eſt animaduertendum hoc loco, & M. Tullium, & Platonem, ac cæteros ſapientes corruptelam ferè à Poëtis pertimuiſſe in Ciuitate, quod inani commiſeratione mollirent animos

hominum, & querimonijs, ac gemitibus virile robur effœminarent: qui motus, nec tam facilè excitantur, quam facilè exardeſcunt cupiditatis faces, nec intereſt permagni, ſi paulùm rationis cancellos euadant: & tamen nullo pacto volebant ijs infringi iuueniles ſpiritus, & calamitatem cum priuatæ rei, tum publicæ magnam inde pertimeſcebant. Nimirum quod ſi militare robur labefactaretur non poterant hoſtiles impetus propulſari. Quid igitur curandum eſt nobis, quibus adeo vehemens, & aſſidua dimicatio eſt ad-

uerſus

uerſus inteſtinum, ac præ-
ferocem inimicum, quem
tartarearum tela ignea ar-
mant, ac furiant Poteſta-
tum? & dimicatio non de
vita caduca, ſed æterna,
nõ de vnius vrbis, vel etiam
totius terrarum orbis im-
perio, ſed de Cælo? Tan-
tam peſtem qui formida-
bant ab eo librorum gene-
re, quid exiſtimauere de
ſpurcis, qui ad maxima fla-
gitia cupiditatem inflam-
mant, audaciam roborant,
viam monſtrant? Loquatur
hac de re: ex aduerſario-
rum caſtris nobilis Dux,
dignus aliquo loco in hoc
cœtu ſapientum, quo ſuo

teſtimonio, & experimento omnem dubitãdi locum auferat imperitis. Prodeat (inquam) vtinam, tàm pudicus, quàm ingenioſus Ouidius, & pronuntiet de teneris poëmatibus quid ſentiat.

Eloquar inuitus: teneros ne tange Poëtas.
Summoueo dotes impius ipſe meas.

Impium ſe miſer appellat, dum erat maximè pius. Sed audiamus totam ſententiam.

Callimachum fugito: non eſt inimicus amori:
Et cum Callimacho tu quoque Coë noces.

Me certè Sappho meliorem fecit, amice,
Nec rigidos mores Teia muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Proh Deum immortalem! clamat Ouidius à nemine tutò poſſe Tibullum, Propertium, aut alium ex hoc genere contingi poëtam: & Chriſtiani adoleſcentuli hoſce audebunt conterere, ediſcere, in manibus, in ſinu

geſtare? Dicitur aliquando egregiè concionatus, & adhortatus ad virtutem homines Diabolus, vt nulla eſſet peccati venia, nullus locus cauſam in fraudem, & ſolicitationem Dæmonis conferendi. An ſimillimum non eſt hoc? Poëta peſtilens ne me attingas prædicit & ante denuntiat: procul eſto clamat, ne contagione inficiaris. Tu verò infers te: & irruis: non amicorum reuocantiũ, non hoſtium repellentium voces audis: quam ſpem veniæ igitur tibi reliquam facis? Iure etenim diuina vox intonat. *Quis miſerebitur*

Incantori à ſerpente percuſſo, Eccl. 12
& omnibus, qui propiant beſtijs? Sic, & qui comitatùr cum virò iniquo, & obuolutus eſt in peccatis eius. Satis multa videor teſtimonia recitaſſe, quibus quãta ſit in lectione turpi pernicies oſtenditur; adeóque idonea, vt ſi nullum præterea ſit argumentum, ſatis, ſuperque teſtata res, comprobataque videatur. Verum enimuerò ita manifeſtis abundamus rationibus: argumẽta adeo multa, & euidentia ſunt ad manus, vt equidem verear ne planè ineptus videar, quod autoritate certandum vlla cenſuerim. Sed

ego, quicquid ſit, rei grauitati, meóque ſenſui quoquo poſſum pacto ſatisfaciam. Hinc igitur ordiar.

Plato in Memone. Xenoph. l. 1. dedic. & fact. Socr. ar. 9. & c. 9 & alibi. Cle Alex. 5 Strom.

Prauorum conſuetudo exitiabilis eſt, quis neſcit? Non eſt quod teſtimonio vllo, ſeu ratione confirmem. Theognidis noti verſiculi ſunt, quos Plato, Xenophon, Ariſtoteles, cuncta antiquitas pro oraculo celebrarunt.

Ἐσθλῶν μὲν ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι,
Συμμιγῆς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Quos latinè ſic verti licet.

Recta bonorum vſu diſces, vſúque malorum,
Id perdes etiam quod tibi

mentis erat.

Neque Euripidea minus celebris, ac laudata vox.

Quiſque eſt, vt ij ſunt, cum quibus libens agit.

Laudans ſentium Augurinum iunior Plinius. *Viuit cum Spurinna* (inquit) *viuit cum Antonino, quorum alteri affinis, vtrique contubernalis eſt. Poſsis ex hoc facere coniecturam, quàm ſit emendatus adoleſcens, qui à grauiſsimis ſenibus ſic amatur. Eſt enim illud veriſsimum.* l. 4. epi. 27.

γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν, ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται
ξυνών.

Qui verſus poſtremus eſt trium, quos Siculus Diodo- l. 12.

rus, & longè ante eum Demoſthenes ex Euripidis, nõ Phœniſſis, vt quidam falſò putarunt, ſed Phœnice, in oratione de falſa legatione affert.

Oστὺς δ᾽ ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ,
Οὐ πώποτ᾽ ἠρώτησα, γιγνώσκων, ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Quicunque vir libentèr cum malis agit,
Qualis ſit haud interrogem cum illud ſciam,
Talem eſſe, vt hi, quibus libentèr vtitur.

Quòd nimirum, ſi talis omnino principio non ſit, celerrimè fiat. Adeo in vtramque partem potens familiaritas eſt: & quod mi-

ſerum eſt, valentior in pe-iorem. Vt meritò Iſocrates admoneat Nicoclem, dili- *Diod.* gẽtèr vt familiaritates pro- *ſic. l. 12* bet, pro certo habens, quorum vteretur conſuetudine, ijs habendum ſimilem: *De br* Et Charondas actionem *vitæ Vi* *de etiã* inſtituerit, qua rei ageren- *ep. 104* tur de familiaritate non bona. Atqui lectio librorum quædam eſt cum autoribus conſuetudo, & familiaritas. Audite Senecam de ſapientum conſuetudine loquentem *Diſputare* (inquit) *cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicùro quieſcere, hominis naturam cum Stoicis vincere.* Et

paulò poſt, cum in ſimulata mortalium officia inuectus eſſet, proſequitur laudes eorum, qui cum priſcis ſapientibus agunt, dum in eorum monumentis verſantur. *Hos in veris officÿs morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie, & Democritum, cateróſque bonarum artium antiſtites, qui Ariſtotelem, & Theophraſtum volent habere quàm familiariſſimos. Nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad ſe beatiorem, amantiorémque ſui dimittet. Quæ illum felicitas, quàm pulchra ſenectus manet, qui ſe in horum clientelam contulit? Habebit cum quibus de*

minimis, maximíſque de rebus deliberet, quos de ſe quotidie conſulat, à quibus verum audiat ſine contumelia, laudetur ſine adulatione, ad quorum ſe ſimilitudinem effingat. Hæc ſapiens de conſuetudine ſapientum. Quis dubitabit, quin ex conſuetudine flagitioſorum contraria conſequantur? eò etiam magis quò faciliùs (quæ conditio noſtra eſt) inter homines mala, quàm bona propagantur? Atqui, quò ſæpius conueniri liber, quàm viuus amicus poteſt, hoc pernicioſior huius, quàm illius conſuetudo eſt.

Is qui viuit, ſi incidat

in bonum virum, ipſe fortaſſè ad honeſti caſtra traducetur: aliquo ſiue conſilio, ſiue caſu corrigi, ac flecti poteſt: non ſemper venenum habet promptũ: aliquando etiam homo, non bonus autor eſt boni conſilij. At malus liber, vt immanis, ac venenata beſtia, tolli poteſt, mutari non poteſt. Aſſiduè ad infligendum plagam exertos dentes, paratum virus ad inficiendum habet: eodem tenore, idem ſemper, ſui vbiq; ſimilis peſtiles, & corruptor, Deindè in libro meditata ſunt magis omnia, & quaſi tela ſtudio magno ex-

acuta, & directa ad certiùs feriendũ. Sermo blandior, & magis factus: deſcriptiones expreſſæ, omnia colluſtrata, & coloribus meretricio ritu ad corrumpendũ fucata. Quæ in familiari viuorum vſu quamuis improborum, nec tam accuratè, nec ita ſunt sẽper. Quod ſi nihil aliud, an contemnenda eſt fama illa, ne quorum delectaris ſcriptis, eorum moribus ſimilis habearis? Nam mihi quidem diuinus etiam ſapiens videtur hæc confirmaſſe iudicia, cum ait. *Ex ſtudiis intelligitur puer ſi munda, & recta ſint opera eius.* Atque illud eſt etiam Pro. 20

grauius in cauſa noſtra, quòd ejuſmodi auctores non ſolùm pro amicis, ſed etiam pro magiſtris habentur. Notum eſt autem, quàm procliue ſit Magiſtrorum, vel vitia imitari, cùm, & linguæ hæſitantiam Ariſtotelis, & Platonis gibbum eorum ſectatores imitarentur. Egregiè Clemens Alexandrinus. *Si quis in Iſchomacho ſtudium poſuerit, eum faciet Agricolam; & ſi Lampidi operam dederit nautam. Et Charidemo, Imperatorem: Et Simonidi, equitandi gnarum: Et Perdici, cauponem: Et Crobylo obſoniorum conditorem: Et Archelao, ſal-*

Clemẽs Str. l 7.

tatorem: Et Homero, poëtam: & Pyrrhoni contentioſum: & Demoſtheni, oratorem: & Chryſippo, Dialecticum: & Ariſtoteli, Phyſicum: & Platoni, Philoſophum.* Tum ſubdit Clemens beatiſſimã clauſulam. *Ita qui paret Domino, & per eũ datam ſequitur prophetiam, efficitur ad Magiſtri imaginem Deus, qui in carne verſatur:* cui ſimilem, ſed triſtiſſimam clauſulã, & vos in re noſtra ſubiicite. Ita qui impudicis operam nauat ſcriptoribus, ac magiſtris; eorum ſimilis fiet. Prætereà expreſſa, ſiue coloribus, ſiue quouis artificio rerum turpiũ ſimulacravim habent magnam ad

intuentium animos corrumpendos, & quodammodo faſcinandos. Ita exiſtimarunt antiqui legum ſcriptores, qui eius generis ſtatuas, ac picturas omnino è ſuis Ciuitatibus ſuſtulerunt. Quare ipſimet Poëtæ improbi deteſtantur eos, qui primi poſuere in

Pol 3. caſta turpia ſigna domo.

Ac Plato quidem turpium imaginum aſpectum cum aëre, cæloque peſtilente comparans, cauſam affert diuinè, vt ſolet. Nonne videtis, qui in graui, ac peſtilenti cælo educantur, vt paulatim vitium inde trahant, nec ſentiant? Color

eſt pallidus, & exanguis; buccæ fluentes, oculi flauo ſuffuſi, venter inflatus ac tumens, vires languidæ, cuncta valetudo afflicta. Id ipſum (inquit Plato) non in corporibus, ſed in animis eorum fit, qui ita enutriuntur, vt eorum oculis fœdarum rerum effigies obuerſentur. Earum conſpectu, quaſi halitu quodam peſtifero afflantur, quo ſenſim virtutum ſemina vitiantur, & cũcta mentis ſanitas computreſcit. Quin etiam tantam vim Ioannes quidam ingenio nobilis, ac religione Chriſtiana, in ſeptima Synodo

l.ſ.c4. nit.l.Ex ter.

ſimulacris tribuit, vt ea valere plus dicat ad motus animi excitandos, quàm ipſa poſſit oratio. Valerius, autem Maximus aliquanto efficaciorem literarum picturam vocat pictura ipſa colorum. Quid ergo ſpecies turpiſſimæ poterũt, quæ in peſtiferis voluminibus expreſſæ cernuntur? Vulgatum eſt picturã eſſe mutã poëſim, Poëſim verò loquẽtem picturam. Nocet muta pictura, quid loquẽs? Nocet oratio ſeparatim, nocetque pictura, quid vtraque collatis viribus permixta, atque coniurans? Ita enim infames, ac miſeri

iſti elaborant, vt videantur nullo ſibi in numero eſſe, niſi multo magis id, quod ipſi oratione depingunt, in eorum carminibus extat expreſſum, quàm ſi conſpiciatur idem in tabula à pictore deſcriptum. Deinde ad corrumpendos animos vim ineſſe Muſicæ maximam, cum ea corrupta eſt, viri ſapientes exiſtimarunt. Quare de eius modo, ac numeris diligētiſſimè præceperunt. Certè ſapiens ille admirabilis, toties laudatus Philoſophorum Homerus ex muſicæ commutatione affirmare nō dubitauit pendere totius Ciuitatis

conuerſionem: idque euenisse Arcadum quibuſdam grauis autor Polybius obſeruauit. Quid? in Poëtis numerus ille, cantúſque nonne ſimillimus Sirenum eſt vocibus? Poſtremò, quæ ſit exemplorum vis nihil attinet dicere, præſertim in rebus malis, quæ propè fieri rectè videntur, cum exemplo fiunt. Quam verò ſæpe magnorum hominũ autoritate in ſcriptis turpibus ſcelera, & flagitia commendantur? Ex hiſce omnibus quanta Reipublicæ ſtrages à Poëtis (ſi mali ſunt) impendeat, facilè iam licet colligere. Perni-

cioſa eſt muſica, ſi petulans ſit: & quodam cantu aſperſa eſt petulantia Poëtarum Perniciosa ſunt turpia ſimulacra? & fœdiſſima illi ſpectacula ante oculos ponunt. Bonos corrumpunt mores congreſſus mali: *lib. 1. ad ux.* quemadmodum ait verſiculus, vt cum Tertuliano loquar, ſanctificatus per Apoſtolum: in lectione congreſſus, & locutio eſt. Exitioſa eſt ſceleratorum conſuetudo, & familiaritas, nulla eſt coniunctior, nulla magis aſſidua, nulla magis efficax conſuetudo, quã lectori cum eo, quem legit. Noxia ſunt rerum,

exempla noxiarum? Quid ſi artificioſe proponantur? ſi cum commendatione? Si in magnis, illuſtribúſque perſonis? loquatur id perditus ille è ſcena adoleſcens, qui profitebatur peccare ſe didiciſſe Magiſtro Ioue: idque quod deorum Principe egiſſet autore, pulchrum ſibi ducebat. Hinc A. hinc tanta in omni genere iuuentutis licentia, petulantia, impudentia, ex libris, ex fabellis, qui lectitâtur cum voluptate, quæ cum riſu narrantur. Hinc deinde corruptela, flagitia, exitia familiarum, incerta fides thori, incerta ſoboles, nau-

fragia virtutis, ac patrimonij, euerſiones denique ciuitatum. Videte lapſi quo ſimus. Olim Chriſto Domino, Deo, ac ſeruatori noſtro Ethnicorum infames Dij iis rebus, quas ad ſpeciem habebant illuſtres, nomine diuinitatis, rerũ quaſi præclarè geſtarum prædicatione, templorum, ac ſtatuarum magnificentia, vetuſtate ſuperſtitionis bellum faciebãt. Diruta nunc templa ſunt, euerſæ ſtatuæ, ſepulta rerum geſtarum falſa imago, extincta ſuperſtitio, abolitum nomen diuinitatis. Quid ergo reliquum eſt?

Eorum vitia, ac ſcelera viuunt. Et (quod horret animus cogitare) ſtupra, & adulteria Iouis, Chriſti ſanctimoniæ bellum crudeliſſimum mouẽt. Nimis enim proh dolor, nimis ſuapte ſponte, poſteaquam in ipſa ſtirpe deprauata eſt, præceps in vitiũ ruit natura. Continetur in adoleſcentibus furor ille immanis pudore, partim aſſiduis præceptis, quæ parentes, ac magiſtri, ſiue priuatim, ſiue publicè inculcant. Sed ita continetur tamen ille ad mala efferatus impetus, vt vix vnquam penitus manſueſcat. Vbi aditum reperit

ſi vel

ſi vel ſodalis, vel liber peſti-
lens auctor accidit, actum
eſt: inualeſcit, erumpit: ad-
ijcitur pudor, corroboratur
audacia. En tota vitæ, mo-
rúmque mutatio: procul-
catur ſanctitas, inquinatur
animi candor, odio eſt pu-
dicitia; effrænatæ cupidita-
tes, vitia omnia dominan-
tur. Hæc optimè cum in-
telligerent Chriſtianæ reli-
gionis Antiſtites, nihilo pu-
tarunt minorem ſibi adhi-
bendam curam in hac ſa-
cra, diuináque republica,
quam olim in ſua profana,
& mortali legum latores
veteres adhibuiſſent. Ita-
que Patres Concilij Late-

rañenſis, vt initio dicebam, ſeuerè pręceptoribus interdixere, ne diſcipulos quicquam, quod contra bonos mores ſit, vel ad impietatẽ inducat, legere ſinant. Et ab ſacroſancta Tridentina Synodo lecti Patres, poſteáque sũmi Pontifices, cũ ſermonis cauſa libros olim cõſcriptos ab Ethnicis permiſiſſent, vt antè nos ipſi diximus, tamen prælegi pueris vetuere, vt oſtenderent quàm procul ab ijs per ſeſe volutandis tenerior ætas abeſſe debeat. Cæteros autem ſcriptores, qui res obſcœnas ex profeſſo (ſic enim loquuntur) tractant, nar-

rant, vel docent, omninò vetuerunt attingi, pœna decreta grauiſſima. Nam cum libros hæreticorum, vel cuiuſuis auctoris ſcripta ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, qui haberet, legerétve graui anathemate perculiſſent, qui libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, declarant ſeuerè ab Epiſcopo puniendum, prærerquàm quod mortifero crimine animam ſuam obſtringat. Quæ cùm ita ſint, ad perniciem huiuſce lectionis oſtendendam neceſſe non eſt demonſtrare periculum in ea ineſſe, cùm

quamuis detrimētum præterea nullum exoriatur, inſit exitium præſens, animi mors, noxa ſupplicio digna ſempiterno. Quo ego me loco, Aud. nequeo continere, quin deteſter impia eorum ingenia, qui hiſce quoque temporibus ita duro ſunt ore, ac mente peruerſa, talia vt audeant ſcribere, & Chriſtianorum nomine cenſeri velint. Quanto iuſtius hoſce Veneris, Cupidiníſque cultores appellem, quàm ipſos ſimulacrorum, idolorúmque cultores? Perſimilis enim horum, & quadam ex parte peior eſt cauſa, quàm ſtatuarij

Idola fingentis : & tamen de eiuſmodi opifice clamat grauiſſimè Tertulianus *De Idolo.* Colis non *ſpiritu viliſſimi nidoris, ſed tuo proprio : nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam accendis.* O ſtuporem, ô nequitiam, ô impudentiam incredibilem! Chriſtianum te profiteris, id eſt, diſcipulum honeſtatis, & magiſter es turpidinis? Audes eius te nominare cultorem, contra quem claſſicum canis? Tu generis humani Saluatorem veneraris, qui eos is perditum, quorum ille ſalutem ſua ha-

buit vita potiorem? Quod ſi tantus amor exitij eſt, ſolus perito. Quid alios trahis? Si iuuat perire cum multis, an non ſatis eſt vicinos perdere? vel ſi tanta immanitate es, vt nullas vrbes, nullas nationes, nullum genus hominum à tua peſte immune velis eſſe, vt orbem terræ omnem funditùs euerſum velis; nonne ſatis eſt eos, qui iam in hanc lucem venere homines appetere? Quid etiam paras venena non natis? Animaduertite per Deũ, Aud. num tale vnquam prodigium vſpiam extiterit, quod nulli hominum generi parce-

ret, quod vnum eodem tempore varias prouincias deuaſtaret, quod calamitatem ijs quoque, qui necdum nati eſſent, afferret: præter librorum auctores peſtiferorum, monſtrum eiuſmodi nullum reperietis. Multa, vel in hiſtorijs, vel in fabulis humano generi infeſtiſſima olim fuiſſe prodigia memorantur. Venefici ac malefici teterrimi, latrones importuniſſimi, Tyranni efferatiſſimi, belluæ portentiſſimæ. Sed nullæ vnquam diræ adeò Circes, aut Medeæ, nulli Mezentij Procuſtæ, Cyclopes, nullæ

Sphinges, hydræ, Harpyiæ fuerunt, quarum ſeu vera, ſeu ficta mala cum veris iſtorum ſtragibus conferri queant. Nam aliqua tandem regione contentus, aliquo circumſcriptus tempore fuit illorum furor: nec niſi præſentibus, nec niſi nocuere corporibus, cùm iſti, & animos miſerrimè diuexent, & abſentes corripiant, & nondum genitos, quaſi in inſidijs opperiantur: denique nullis terminis nec locorum, nec temporum claudantur. Dicam amplius, nulla ex Tartareis furijs tam funeſta, & exitialis eſt, quàm vnus libellus.

Nam nec illæ tam multos ſimul mortales, nec multis in locis eodem oppugnant tempore. At hic ita ſerpit, ita multiplicatur, & ſpargitur, vt eodem momento, longiſſimo inter ſeſe diſſitas interuallo regiones, ac gentes peruagetur, ac perdat. O monſtrum, portentúmque inauditum! Et huiuſmodi monſtra, A. non terra irata, non cautes, non tygres, aut leænæ, vt poëtæ loquuntur, ſed eorum (proh tuam Chriſte optime patientiam) ſed eorum, qui Chriſtiani cenſeri volunt, ingenia pariunt, multis laboribus, diuturnóque ſtu-

dio, ac multo ſudore educant, armant, efferant. Durus ille fuit, qui ſæuiſſe draconis dentes fingitur. Nam quæ expectari meſſis ex ſemente poterat? Sed iſti multò immaniores, qui dedita opera hydras ſeminant propè immortales, quas norunt, non contra ſe ad mutuam cladem, ſed ad animorum perniciem, rabiem, ac venena verſuras. Fateor equidem, A. tantæ peruerſitatis, adeóque impiæ feritatis nunquam mihi cogitatio ſubit, quin totus cohorreſcam, & angar intimis ſenſibus. Atque, vt hoc etiam quemadmodum ſen-

tio , aperiam. Iſtiuſmodi hominum ſalutem ego deploratam , ac deſperatam propemodum habeo.Quid vt ij cœlo recipiantur vnquam , qui relinquunt in terris arma, per quæ nunquam deſinant pugnare cum cœlo? Quid enim iſti ſimilem habent Saluatori, vt ſalutem ex eo debeant expectare? Ille venit virtutum è regno pudicitiæ præco, honeſtatis magiſter, innocentiæ reſtitutor: Iſti ex luſtris, & ganeis prodeunt publici lenones, flagitiorum prædicatores, ſanctimoniæ hoſtes, & expugnatores. Inter mundiſſima ille

paſcitur lilia, integerrimus virginũ ſeptus choris: iſtos volutabra fœdiſſima inter porcos, ac veriùs inter dæmones oblectant, ac ſaginant: Ille pro gloria Dei ſubire atrociſſimam mortem non dubitauit: iſti eos edũt ingenij fœtus, per quos contra Deum, vel mortui militent. Abſoluam vno verbo. Animarum ille ſalutẽ ſanguine emit ſuo: earundem iſti ſummo ſtudio, cunctíſque opibus mercantur exitium. Quid igitur abſurdiùs, quàm vt eodem tempore ſint iſti beati, dum per libros, quos edidere, tanquam ſatellites, ac vicarios

ſuos conantur omnes in ſummas præcipitare miſerias? Vt Chriſto fruantur in cœlo,& eundem Chriſtum in terris cruentis telis adoriantur? Quantò illud congruentius, quod de Chriſti interfectoribus Iudæis Magnus Leo pronuntiat. *Meritò ſoli non habetis, quod omnibus perire voluiſtis*: Magna quidem, multóque quàm cogitari queat à nobis, maior Dei benignitas eſt. Sed memini denuntiatum à vero, ſanctóque iudice ei, qui vel vni è puſillis offenſionem obijciat, expedire, ſi alligata ad collum aſinaria mola in altum deijciatur.

Ser. 1. de paſſ.

Illud enimuerò certũ, fixũque eſt, niſi ſeriò reſipiſcãt, niſi quæ moliti ſunt deſtruant, laceréntque, & obruant peſtiferos partus, & omni ope, quos texuere laqueos amoliantur (quod, quàm ardui, immenſique cuiuſdam negotij ſit, vel infamis ille Heliodorus oſtẽdit, qui maluit ſacris infulis exui, quàm quos condiderat eiuſmodi libros exurere) certum, inquam, atque exploratum eſt actum de ipſis in ſempiternum eſſe. Quid autem dementius, quàm in eo deſudare texendo, quod niſi tandem ex animo deteſteris, & om-

ni cura retexas, ac deſtruas, ſaluus eſſe non poſſis? Quid furioſius, quàm ſic præſtantiſſimis Dei donis abuti, & conterere in ijs conſcribendis ingenium, quæ certò ſcias, tibi ipſi, vel æterno poſt mortem luenda ſupplicio: viuo, videntíque abolenda lacrymis, extinguenda flammis? Sed mittamus hanc triſtiſſimam querimoniam; & id quod poſtremo loco propoſui, éſtque huic loco magis accommodatum, breuitèr abſoluamus. Ipſa enim rei dignitas tanta eſt, vt per ſe quamuis nullum præterea periculum, vel damnum

ineſſet, ſatis eſſe debeat ad ingenuos, ac pudicos animos ab huiuſmodi conſpectu ſordium abſterrendos. Ac res tota facilè quibuſdam ſimilibus apparebit. Etenim non perperam ſentiunt, qui volunt legendi libros vocabulum à ſimilitudine flores, vel aliud quidpiam huius generis legendi deductum. Manus in prato flores, literas in membrana oculi carpunt, colligúntque. At lecti flores non ſolent propiùs admoueri: in manibus, vel ſinu conſiſtũt. Literæ autem multò interiùs penetrant, ab oculis ad cogitationem peruadunt,

ac mentem. quippe legi nihil poteſt, quin rerum, quæ leguntur notiones animo formentur. quæ notiones, ſi nihil extrinſecùs accedat, per ſe tales ſunt, quales res, quarum ſunt ipſæ imagines, pulchrarum honeſtæ, fœdarum turpes. Et quidem etiam habent vim eum excitandi motum à quo ſunt ipſæ profectæ. Nam quemadmodum cùm videmus ridentem, facilè excitamur ad riſum, ita fœdarum rerum forma comprehenſa animo ſua vi motus ciet indignos. Sed hoc ad perniciem pertinet: de qua iam amplius non diſpu-

tamus. Eſto igitur abſit omne periculum, inertes planè conſopitæ, ac mortuæ illæ ſint ſpecies: nihil agant, non incendant, ac ne leuiter quidem afflēt animum: labeculam illi denique nullam aſpergant, quod perraro contingit, tamen illa ipſa turpia ſimulacra in animum admittere turpe eſt. Si quempiam videremus flores graueolentes, aut herbas venenatas, ſine vlla cauſa magno ſtudio colligentem, iiſque ſinum refercientem, eum fatuum, nullo modo elegantem hominem putaremus. Quid qui cogitationem, aut mē-

tem ſibi ſponte ſua turpiſſimis imaginibus onerat? Hoc etiam modo ratiocinamini. Muſcas nemo pertimeſcit metu calamitatis, nemo tamen niſi ſit ſtipes, patiatur ſibi muſcarum agmen in ore inſidere. Non cruentant, ſed moleſtæ ſunt: non aculeum habent letiferum, vt ſcorpiones, ſed tamen beſtiolæ ſordidæ ſunt: nihil habent, quare amentur. At is qui fœda legit, non obtrudentes vltrò ſe muſcas non abigit, ſed beſtias longè fœdiores, volens, ac prudens captat, & allicit; penitúſque animo recipit, quæ per cogita-

tionem volitent muſcis quibuſuis longè moleſtiores. Hominem loco perilluſtri ortum, & famæ cupidum bonæ, nequaquam deceret inter vilia, & infamia verſari mancipia, & ſordidis plebeculæ infimæ delectari ſermonibus. Quantò igitur decebit minùs cum peſſimis iſtis, turpiſſimíſque lenonibus Chriſtianum verſari adoleſcentem? Abeſſe quidem Ethnicus ſuos, & à criminis ſuſpicione volebat. Quoſnam hoc magis decet, quàm illos, quorum delata è cœlo ſanctimonia, mundities, innocentia propria eſt, vno verbo, Chri-

eſar ud eton. ut.

ſtianos? Conuenite conſcientiam veſtram, ſi petulantiùs vobiſcum quis agat, quemadmodum feratis? Nonne ſtatim vos, & meritò ad vocem impudẽtem ſuffundat pudor? Quid? quę auribus reſpuitis, hæc vnquam loqueremini? Ergo quæ nec audire, nec loqui decorum ducitis, ea legetis, cum in lectione, & auditio ſit, & locutio? *Fornicatio* *ep. ad. c. 5* (clamat gentium magiſter) *& omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis.* An non nominatis, qui legit? Sed audiamus quid afferat, hoc vt adeò ſeuerum conſilium perſuadeat. Non

intentat pericula; ne paulatim à dictis fiat lapſus in facta: non propoſita apud inferos ſupplicia commemorat, à quibus, vt quàm longiſſimè recedat, nihil eſt, quod is, qui ſapit, omittendum putet: non æterna, quæ pios manent in cælo gaudia, ad quæ adipiſcenda nihil eſt adeo moleſtum, quod non bene ſuſcipiatur. Quid ergo ait? Quamobrē vel ipſum immunditiæ nomen fugiendum eſt nobis? Quia ſanctos hoc decet. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Si profanum

vos vulgus eſſetis, ſi mancipia ſordida, ſi vilis plebucula, ferendum fortaſſe eſſet aliquid humile, abiectúmque ad veſtros oculos, aut animos adhæreſcere. Si è numero in tenebris iacentium populorum, ſi è cultoribus Bacchi, Veneris, Iouis: aliorúmque fœdiſſimorum Deorum vos eſſetis, non ita abſurdum eſſet iis ſimiles eſſe, quos coleretis. Sed vos ſancti eſtis. Omnis igitur immunditia, nec nominetur in vobis. Sanctitas nitor eſt, & munditia cœleſtis: hæc vobis integerrimo Chriſti Domini empta

eſt ſanguine. Spurcitiarum igitur inter vos ne nomen quidem audiatur. Chriſtiana ſoboles, genus electum, gens ſancta Deo, cœlóque deuota, locum pretium, nobilitatem veſtram agnoſcite. Maiores vos eſtis rebus humanis: ſancti eſtis, ita vos gerite, vt ſanctos decet. Veſtros oculos, veſtras aures, veſtras mentes vllius rei humilis, & caducæ, nedum immundæ, ac ſordidæ ne patimini ſpecie maculari, quid luci cum tenebris? vos filij lucis eſtis. Vobis receſſit nox: vti decet in die, ſic honeſté, & decorè incedite. quid pudicitiæ cum verſibus, &

bus,& narrationibus impudicis? Quid ſtudioſo veræ ſapientiæ cum inſaniæ magiſtris? Spartanus quidam captiuus quandiu herus, quæ ingenuum decebant adminiſtrum, imperabat ſedulò exequebatur: vbi quiddam ſeruile iniunxit, ſenties (inquit) quem emeris, ac protinùs ſeſe præcipitem è tecto dedit: ſatius ducens vitam proiicere, quàm Spartanam deformare generoſitatem. Quid rogo, magis ſeruile, ac ſordidum, quàm tractare, ac verſare librorum iſtorum ſpurcitias? Et veſtram huc vos ſanctam indolem, diuinám-

que originem dimittetis? Plus ergo Spartanũ, quàm Chriſtianum valebit nomen? Plus Sparta, quàm Cœlum? Plus è Spartano natum eſſe homine, quàm renatum ex Deo? Quæ quidem lectio quàm parùm Deo ſit grata, hic ipſe nos admonet dies. Vir enim & ſanctitate, & ſapientia nobiliſſimus Hieronymus, cui hodie anniuerſariam venerationem reddimus, ſtatutum ſe ad diuinum tribunal, & coram ſummo iudice verberatũ teſtatur acerrimè, Chriſtianúmque ſe profitentem, Ciceronianum fuiſſe per conuicium

appellatum, quod illum au-
ctorem immodicè lectita-
ret. Rem profectò A. hor-
rendam: quaſi Ciceronia-
nus idem, & Chriſtianus
eſſe non poſſit. Et tamen
hæc quo acta ſunt tempo-
re, adoleſcentiæ lubricum
ille vir ſanctus exierat; vitæ
ſeueriſſimo genere aduer-
ſus omnes peccatorum ſe
armarat illecebras; nec fla-
gitioſa, & ſpurca, ſed monu-
menta ex Ethnicis optima,
conſilio optimo volutabat:
vt exiſtimare liceat, quàm
indigni ſanctiſſimo Chri-
ſtiani nomine ſint, qui ſe
Catullianos, Tibullianóſve
profitentur: hóſque, & ho-

rum ſimiles terunt poëtas, non honeſtatis cauſa, ſed vt quod minimum eſt dicam, curioſitatis. Nam neceſſitas nulla eſt, vt initio docui vtilitas ſi qua eſt, tāti emenda non eſt. Non ita magnus ille vir Nolanorum Antiſtes Paulinus, qui poſteaquàm Chriſtianam ſanctitatem animo, vt decebat virum, concepit, non ſolùm laceſſenti poëtæ palam reſpondit. *Negant Camœnis, nec parĕt Apollini dicata Chriſto pectora.* Sed & narratur, & è ſcriptis eius apparet, ne nominare quidem Ethnicos poëtas conſueuiſſe. Adeò ex Apoſtoli voce om-

nis immunditiæ, vel ipſum nomen faſtidio Chriſtiano dedignabatur; vt cum regio Pſalte concineret, *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Itaque, adoleſcentes ornatiſſimi, (vos præcipuè appello, quos mihi hoc anno Deus erudiendos dedit, quorum cauſa, vt probè noſtis, nullum ſubterfugi laborem, qui me interdum etiam nimium veſtris commodis conſulendi cupiditate prouectum, moroſum, ac difficilem patienter, obſequentérque tuliſtis) implete gaudium meum, hanc poſtremam vocem infigite animis veſtris, quam nulla

conuellat dies. Sinite mancipia turpium, infamiúmque Deorum peruolutari in cœno turpium voluminum. Vos non ſerui, ſed Reges, ſed filij Dei, ideſt Chriſtiani, ſanctíque vos eſtis. Candida vos pudicitiæ ſigna ſequimini, dicto innocentiæ ſacramento. Patrona vobis, matérque Virgo integerrima, Deíque eſt parens, frater Chriſtus, Cœlites, apud quos in pretio eſt, & regnat integritas, veſtri ciues ſunt ac tribules. Luculentas illas peſtes abigite, amandate, exterminate ab oculis, à manibus, ab domibus veſtris, & omnium

quotquot poteſtis. Non ſunt auctores illi digni vita: non viuant, iaceant in ſordibus, quas adamarunt. Qui incendunt impietatis faces, pijs facibus concrementur. Inuratur etiam hic dolor animis illis, quos tartarei adurunt ignes, vt ſentiant ſe deſpici, abijci, proculcaríque à vobis. Hoc merentur, qui contra Ducem, Deúmque noſtrum ſcelerata arma ſumpſerunt: qui nos ſecum in exitium voluerunt pertrahere ſempiternum. Studiorum veſtrorum Deus ſit dux, pietas, & religio moderatrix. Fruſtra vigilat, fruſtra im-

paſleſcit libris , fruſtra in ſtudijs florem ętatis atterit, qui Deum adiutorem non habet. Tum Deus aderit vobis , cùm viderit vos de veſtra ſalute ſollicitos, cùm à ſuis hoſtibus abhorrẽtes. Ne vos fallat inanis ſpecies emolumenti. Credite non penitus ignaro , & veſtri amantiſſimo mihi. Detrimentum nullum eſt multa neſcire, ſed lucrum eſt maximum. *Non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina*, cœleſte canit oraculum. Nec vulgaris ſapientia eſt videre , quid ignorandum ſit. Non erit vobis aurum è ſtercore colligẽdum, ſed aderit purum,

Ecc.19.

ac putum è cœlo. Pudeat monſtra illa infamia habuiſſe pro magiſtris, Lacedæmonij bonam ſententiam ab homine flagitioſo pronunciatam ſequi, non è ſalute Reipublicę duxerũt, Vobis, qui diſcipulos vos profitemini, honeſtatis erũt magiſtri, qui turpitudinem docent? Abeant, valeant, faceſcãt in malam crucem, ſeu potiùs in bonas flammas. Spiritus diuinus doctor, Chriſtiani hominis eſt. Pudeat è lacunis turbidis, in quibus hydri, & cadauera innatent, haurire. nitidos, ac pellucidos adite fontes, vt quemadmo-

dum decet ſanctos, non linguam magis excolatis quam mores: nec animum magis doctrina, quam virtutibus exornetis.

LAVS DEO B. Q. V.

REVERENDO

IN CHRISTO

PATRI FRANCISCO
Sacchino ſoc. IESV.

Regij Flexienſis Collegij
Conuictores.

VT non degeneres medium per inane volatu
Sollicitat pullos ales adunca Iouis:
Scilicet hoſtiles animos, vigilijque Draconum
Excubitrix flammas in ſua damna timet.
Haud aliter (Sacchine) *tuos dum voce magiſtrâ*
Inſtruis, eloquij dum pia verba cies,

Sollicitas: cælíque doces luſtrare
receſſus:
Incautos Stygius ne voret
ore draco:
Ore Draco, Paphiæ libris dum
virus Echidnæ,
Mixtáque Lernæo dogmata
felle vomit.
Ergo age rumpe moras, nos te tua
turba ſequemur,
Vertice tangemus ſydera,
tolle moras.
Felix emerito proles generoſa
parente:
Felix emeritâ tu quoque
prole pater.

Al 1
1453836

...era de vm y lo contenido en
...toda la casa tenga
...ble necess.º lo digo por
de Vm. le tenemos
...ren vebo que se sabra
...lica de quaresma
...o de Caresemos co...
...myn : 2 reys portador
...

by Google

Digitized by Google